IANI NICII ERYTHRÆI
HOMILIÆ.



COLONIÆ VBIORVM,
Apud IODOCVM KALCOVIVM
& Socios. CIϽ IϽC XLIX.



EMINENTISSIMO
REVERENDISSIMOQVE



PRINCIPI

ALOYSIO

S. R. E. CARDINALI

CAPPONIO,

PATRONO MAGNO,

quam humillime demissiſſimeque
honorando.



MINENTIÆ PVRPVRAM TVÆ *pronus oſculo verecundo premere, & hunc ſimul offerre libellum qui meus non eſt, audeo mortalium infimus ego. Perperam tamen id à me, ſive nimis indecenter, fieri non videbitur, ut ſpero. Nam* Ioannes Victorius Roſcius (*tempus enim eſt, ut exſtincto perſonam detrahamus* Iani Nicii Erythræi,) *ſuas tibi*

tibi Homilias istas nuncupare ipse destinaverat: eniti autem, ut voluntas hæc viri vel impleatur vel saltem dici nequeat recidisse penitus ad irritum, indubitato mearum est partium; quum nempe viventi spem fecerim, ceu amico singulari optimeque merito, ac modo non fidem dederim, editum per me iri scripta ipsius omnia, quibus potiri licuerit quidem. Adeoque huic meo consilio tuus etiam subscribit Hugo Vbaldinus, *Basilicæ Vaticanæ Decanus optimus: quin & calculum adjicit sapientissimus Neritonensium Episcopus*, Fabius Chisius; *quem diligi quoque abs te plurimum, constat satis. judiciis igitur subnixus tantis, rem eam sic aggredi, veritus denique non fui amplius. Quanto autem satius foret,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *non hîc me, sed suomet ipsum ore præloqui* Roscium! *quam laudes ille tuas oratione decantaret locuplete ac splendida! ut hîc longe post se relinqueret Florentinorum conditores annalium & panegyricorum,*

dum viride porro ſemper, boni publici cauſa, frequenter iteratis ingeminaret exclamationibus! quam panderet, inquam, ſinus pectoris omnes, atque abdita penetralia mentis omnia, coram te, ceu ſole ſuo, nunquam non almo, blando, & amœno, reverentiſſimus juxta & hilaritate diffluens! Verum, in vivis eſſe deſiit Italiæ decus illud, Ioannes Victorius Roſcius *noſter, ſeu potius, valere juſsis mortalibus, præcedens amicos, regionem adiit eorum, qui proprie demum vivunt. Itaque compellandus fuiſti à balbutiente me. qui, ne tædii nimis multum tibi, nunquam non obruto negotiis quam maxime gravibus & arduis, adferat rudis ac ſcrupoſa mea garrulitas, id unicum rogo, ſupplex tuis advolutus genibus, ut, quemadmodum in literatura etiam elegantiſsima principatum tenes, ita vultu ſereniſsimo ſuſcipere digneris, conſcriptos phraſi, cenſitâ doctiſsimorum ſuffragiis quam pulcerrimâ, ſermones viri, non de facultate ſolum oratoria, feſti-*

[illegible] [illegible] & venustate eximia; verum ac pietate quoque in Deum, Ecclesiam, & proximum, luculentissima, donec animam ipse exhalaverit, sincerissimamque memoriam promeriti sempiternam. Quod si vero & sperare liceat, ob[illegible] Eminentia Tua [illegible] [illegible] ac patrocinii, quo [illegible] [illegible] abundanter congessit R[illegible], deferre haud renuat in me, qui non tantum Roscii sic fungor vicibus in praesentia, sed eidem quoque, in [illegible] cupiditate obsequendi [illegible], succedere cuperem, [illegible] equidem gaudio[illegible] [illegible] prorsus formidine, [illegible], clementissimas aures tuas [illegible] ingenuis atque [illegible]. Faxit interim Numen [illegible] Eminentiæ Tuæ [illegible] his & aeternum ex animi [illegible] auspiciis praesertim [illegible], etiam deinceps, in [illegible] è qua sola atque unica,

ca,

ca, conscenditur ceu scalis cælo admotis, in æternarum arcem deliciarum, oviculæ confluant innumeræ, cum pessum euntibus palantes hactenus. Dabam in Belgio, Kal. Iun. CIↃ IↃC IL.

EMINENTIÆ TVÆ

Servulus humillimus

BARTOLDUS NIHUSIUS.

vitateque morum & venustate eximia, verum de pietate quoque in Deum, Ecclesiam, & proximum, luculentissima, donec animam ipse exhalavit, sincerissimaque, memoriam promeriti sempiternam. Quod si vero & sperare liceat, obtineri posse, ut EMINENTIA TUA *saltem aliquid favoris ac patrocinii, quo frui satis ampliter atque abundanter contigit* Roscium, *derivare haud renuat in me, qui non tantum* Roscii *sic fungor vicibus in præsentia, sed eidem quoque, in flagrantissima cupiditate obsequendi tuis imperiis nutibusque, succedere cuperem, ubi forem idoneus: equidem gaudiorum plenus, positaque prorsus formidine, solicitem, isto etiam nomine, clementissimas aures tuas precibus ingenuis atque obsecrationibus. Faxit interim Numen opt. max., ut* EMINENTIÆ TUÆ *cuncta procedant hîc & æternum ex animi sententia, nec non, auspiciis præsertim ejusdem ductibusque, etiam deinceps, in Christi caulam eam, è qua sola atque uni-*

ca,

ca, conſcenditur ceu ſcalis cælo admotis, in æternarum arcem deliciarum, oviculæ confluant innumeræ, cum peſſum euntibus palantes hactenus. Dabam in Belgio, Kal. Iun. CIↃ IↃC IL.

EMINENTIÆ TVÆ

Servulus humillimus

BARTOLDUS NIHUSIUS.

vitateque morum & venustate eximia; verum de pietate quoque in Deum, Ecclesiam, & proximum, luculentissima, donec animam ipse exhalavit, sincerissimaque, memoriam promeriti sempiternam. Quod si vero & sperare liceat, obtineri posse, ut EMINENTIA TUA *saltem aliquid favoris ac patrocinii, quo frui satis ampliter atque abundanter contigit* Roscium, *derivare haud renuat in me, qui non tantum* Roscii *sic fungor vicibus in præsentia, sed eidem quoque, in flagrantissima cupiditate obsequendi tuis imperiis nutibusque, succedere cuperem, ubi forem idoneus: equidem gaudiorum plenus, positaque prorsus formidine, solicitem, isto etiam nomine, clementissimas aures tuas precibus ingenuis atque obsecrationibus. Faxit interim Numen opt. max., ut* EMINENTIÆ TUÆ *cuncta procedant hîc & æternum ex animi sententia, nec non, auspiciis præsertim ejusdem ductibusque, etiam deinceps, in Christi caulam eam, è qua sola atque unica,*

ca, conscenditur ceu scalis cælo admotis, in æternarum arcem deliciarum, oviculæ confluant innumeræ, cum pessum euntibus palantes hactenus. Dabam in Belgio, Kal. Iun. CIↃ IↃC IL.

EMINENTIÆ TVÆ

Servulus humillimus

BARTOLDUS NIHUSIUS.

tibi Homilias istas nuncupare ipse destinaverat: eniti autem, ut voluntas hæc viri vel impleatur vel saltem dici nequeat recidisse penitus ad irritum, indubitato mearum est partium; quum nempe viventi spem fecerim, ceu amico singulari optimeque merito, ac modo non fidem dederim, editum per me iri scripta ipsius omnia, quibus potiri licuerit quidem. Adeoque huic meo consilio tuus etiam subscribit Hugo Vbaldinus, *Basilicæ Vaticanæ Decanus optimus: quin & calculum adjicit sapientissimus Neritonensium Episcopus,* Fabius Chisius; *quem diligi quoque abs te plurimum, constat satis. judiciis igitur subnixus tantis, rem eam sic aggredi, veritus denique non fui amplius. Quanto autem satius foret,* EMINENTISSIME PRINCEPS, *non hîc me, sed suomet ipsum ore præloqui* Roscium! *quam laudes ille tuas oratione decantaret locuplete ac splendida! ut hîc longe post se relinqueret Florentinorum conditores annalium & panegyricorum,*

dum viride porro semper, boni publici causa, frequenter iteratis ingeminaret exclamationibus! quam panderet, inquam, sinus pectoris omnes, atque abdita penetralia mentis omnia, coram te, ceu sole suo, nunquam non almo, blando, & amœno, reverentissimus juxta & hilaritate diffluens! Verum, in vivis esse desiit Italiæ decus illud, Ioannes Victorius Roscius *noster, seu potius, valere jussis mortalibus, præcedens amicos, regionem adiit eorum, qui proprie demum vivunt. Itaque compellandus fuisti à balbutiente me. qui, ne tædii nimis multum tibi, nunquam non obruto negotiis quam maxime gravibus & arduis, adferat rudis ac scruposa mea garrulitas, id unicum rogo, supplex tuis advolutus genibus, ut, quemadmodum in literatura etiam elegantissima principatum tenes, ita vultu serenissimo suscipere digneris, conscriptos phrasi, censitâ doctissimorum suffragiis quam pulcerrimâ, sermones viri, non de facultate solum oratoria, festivita-*

tibi Homilias istas nuncupare ipse destinaverat: eniti autem, ut voluntas hæc viri vel impleatur vel saltem dici nequeat recidisse penitus ad irritum, indubitato mearum est partium; quum nempe viventi spem fecerim, ceu amico singulari optimeque merito, ac modo non fidem dederim, editum per me iri scripta ipsius omnia, quibus potiri licuerit quidem. Adeoque huic meo consilio tuus etiam subscribit Hugo Vbaldinus, *Basilicæ Vaticanæ Decanus optimus: quin & calculum adjicit sapientissimus Neritonensium Episcopus*, Fabius Chisius; *quem diligi quoque abs te plurimum, constat satis. judiciis igitur subnixus tantis, rem eam sic aggredi, veritus denique non fui amplius. Quanto autem satius foret*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *non hîc me, sed suomet ipsum ore præloqui* Roscium! *quam laudes ille tuas oratione decantaret locuplete ac splendida! ut hîc longe post se relinqueret Florentinorum conditores annalium & panegyricorum,*

dum viride porro ſemper, boni publici cauſa, frequenter iteratis ingeminaret exclamationibus! quam panderet, inquam, ſinus pectoris omnes, atque abdita penetralia mentis omnia, coram te, ceu ſole ſuo, nunquam non almo, blando, & amœno, reverentiſſimus juxta & hilaritate diffluens! Verum, in vivis eſſe deſiit Italiæ decus illud, Ioannes Victorius Roſcius *noſter, ſeu potius, valere juſsis mortalibus, præcedens amicos, regionem adiit eorum, qui proprie demum vivunt. Itaque compellandus fuiſti à balbutiente me. qui, ne tædii nimis multum tibi, nunquam non obruto negotiis quam maxime gravibus & arduis, adferat rudis ac ſcrupoſa mea garrulitas, id unicum rogo, ſupplex tuis advolutus genibus, ut, quemadmodum in literatura etiam elegantiſsima principatum tenes, ita vultu ſereniſsimo ſuſcipere digneris, conſcriptos phraſi, cenſitâ doctiſsimorum ſuffragiis quam pulcerrimâ, ſermones viri, non de facultate ſolum oratoria, feſti-*

vitateque morum & venuſtate eximia, verum de pietate quoque in Deum, Eccleſiam, & proximum, luculentiſsima, donec animam ipſe exhalavit, ſinceriſsimaque, memoriam promeriti ſempiternam. Quod ſi vero & ſperare liceat, obtineri poſſe, ut Eminentia Tua *ſaltem aliquid favoris ac patrocinii, quo frui ſatis ampliter atque abundanter contigit* Roſcium, *derivare haud renuat in me, qui non tantum* Roſcii *ſic fungor vicibus in præſentia, ſed eidem quoque, in flagrantiſsima cupiditate obſequendi tuis imperiis nutibuſque, ſuccedere cuperem, ubi forem idoneus: equidem gaudiorum plenus, poſitaque prorſus formidine, ſolicitem, iſto etiam nomine, clementiſſimas aures tuas precibus ingenuis atque obſecrationibus. Faxit interim Numen opt. max., ut* Eminentiæ Tuæ *cuncta procedant hîc & æternum ex animi ſententia, nec non, auſpiciis præſertim ejuſdem ductibuſque, etiam deinceps, in Christi caulam eam, è qua ſola atque unica,*

ca, conſcenditur ceu ſcalis cælo admotis, in æternarum arcem deliciarum, oviculæ confluant innumeræ, cum peſſum euntibus palantes hactenus. Dabam in Belgio, Kal. Iun. CIↃ IↃC IL.

EMINENTIÆ TVÆ

Servulus humillimus

BARTOLDUS NIHUSIUS.

Disertissimi scriptoris Homiliæ prodeant in lucem, & lectitentur. dignæ enim sunt. Coloniæ, x April. CIƆ IƆC XLIX.

Henricus Francken Sierstorpffius, SS. Th. Doctor, librorum Censor.

IANI

IANI NICII ERYTHRÆI HOMILIÆ.



I.

DOMINICA I ADVENTVS.



Onvenit inter nos, HUGO VBALDINE, ut, quæ, Dominicis diebus Christi Domini Adventus, cælestis spiritus mihi subjecerit, tecum per litteras communicem; ut tu quoque, quoniam sunt omnia inter amicos communia, aliquam ex eis utilitatem percipias. Verum, cum venit mihi in mentem, te ad P. Albritii eloquentiam, tanquam ad mensam uberem ac plenam, famem esse expleturum, pudet me jejunitatis meæ; ac libenter promissi mei, à te, mihi gratiam fieri velim. nam, cum ab eo discesseris, quæ à me scribantur, fœnum tibi esse videbuntur. ex altera parte, cum subit, Spiritus sancti vim, non doctis tantum hominibus ac sapientibus, tanquam certis quibusdam finibus, contineri, sed ad indoctos etiam atque infantes extendi, sentio mihi animum addi, ac statuo servare, in eo quod promiserim, fidem. at quoniam hæ litteræ paulum Epistolæ modum excedent, ac justi sermonis formam referent, omissis supervacaneis disputationibus, quæ ad ea verba, Lucæ XXI, *Erunt signa in sole, luna, & stellis, & in terris pressura gentium*, excogitavi, in medium afferam. Atque, nulla res adeo, Hugo humanissime, aspectum hominum in se commovet atque attrahit, ut repentina cælestium orbium defectio. Sol, astrorum omnium clarissimus, dum luminis sui radios late diffundit, spectatorem fere non habet, vix autem nitorem luminis sui, luna intercedente, occultat, cum omnium in se ocu-

 los

los atque ora convertit. quid multa? vitio humani generis fit, ut à rebus, quamvis maximis, quamvis miris, consuetudine oculorum, abducantur animi, atque ad res novas & inusitatas traducantur. quem nam divinæ severitatis in homines ratio commovere non debeat? quem judicii ejusdem magnitudo non perterrere? at, quia hæc toties à concionatoribus decantantur, tanquam usitata & quotidiana prætereuntur, nec satis digna putantur, quæ cogitationes hominum remorentur ac teneant. ad hæc, nemo est adeo omnium scelerum conscientia constrictus, nemo adeo flagitiis omnibus inquinatus, quin habeat persuasum, mortis tempore, se in illis improbis non futurum, qui pœna supplicioque afficientur, immo qui non putet, se in iis numerandum, qui æternæ vitæ præmiis cumulabuntur. quo igitur hæc tam inanis ac stulta istorum hominum opinio ab ipsorum mentibus evertatur, ejusque loco aliquis divini judicii terror constituatur, Salvator noster, solis lunæque defectiones, videlicet res à communi consuetudine remotas, & ad deterrendum idoneas, ante oculos statuit, quæ non solum improbos, à securitate abreptos, in æstum timoris ac solicitudinis abstrahant, verum etiam probos & justos, cautiores ac minus sibi confidentes efficiant. *Erunt*, inquit, *signa in sole, luna, & stellis.* at quæ signa? plena timoris, plena solicitudinis, plena terroris; usque adeo, ut ad eorum aspectum attoniti atque stupentes, ac sensibus amissis, velut lapides, obrigeamus. quid est tam alienum à sole, quam tenebræ? quid tam contrarium candori, quam sanguis? at *sol*, inquit Ioel, *convertetur in tenebras, & luna in sanguinem.* &, quamvis certum sit, hæc signa non abfore ab iis astris, quæ, quotidiano cursu, diei noctisque spatia designant atque definiunt, tamen, solis lunæque nomine, aliud præmonstrari, divinæ sapientiæ ratio, ad utilitatem nostram cuncta referentis, persuadet. neque, mi Hugo, quoquo cogitatione te vertas, quemquam invenias, qui magis dignus sit solis appellatione & nomine, quam ille, qui, tum meritorum laude, tum sanctitatis luce præclara, ceteris fulget illustrius. is autem quis est, nisi ille, à quo omnis justitia, tanquam à sole lumen, emanat, quique, ceterorum sanctitatibus comparatus, solis instar habere

inter

inter minora sidera videatur? uno verbo complectar, hic est Dominus Iesus. aspice hunc solem; tam multis obductum tenebris cernes, vix ut aliqua sui nitoris vestigia retineat. ecquando tantis offusus est tenebris? tum profecto, cum, maledicta, peccata ac scelera nostra in se recipiens, exceptus est à severitate divini judicii, tanquam ab aliqua prædensa caligine. ô portenta, ô prodigia! quis infinita, pro suis sceleribus atque peccatis, sibi mala non metuat, cum adeo alienis culpis laborantem Christum aspiciat? quis tenuissimo suo lumini, si quod habet, non pertimescat, cum tantas Christi claritati tenebras objectas intueatur? *Et timuit omnis homo*, Regius inquit Vates, in hac tam horribili hujus lucis defectione, mente & cogitatione defixus. *omnis homo*, inquit; videlicet omnis, qui ratione & intelligentia utitur. *omnis homo*; videlicet omnis, qui, pecudum ritu, in lutum voluptatis non sese ingurgitat. jam ut, qui nullo tam prodigiosæ rei timore corripiatur, in hominum numero non sit habendus, sed inter feras bestias abjiciendus. Quid porro candore lunæ significatur, nisi opera justitiæ, quæ fecimus nos? convertetur autem hic candor in sanguinem, quia si ea opera ad exactam justitiæ normam exigantur, futura sint propiora sceleri, quam religioni, sive potius, ut eleganter sanctus vates enarrat, futura sint panni menstruatæ similia. Solis lunæque defectiones aspeximus; superest, ut reliqua sidera, insolitis motibus convulsa & labefactata cernamus. significatione stellarum & nomine sanctos viros contineri, ea ratione concluditur; quia non secus ipsi, operibus suis, ad promerendam æternam beatitudinem, à Christi meritis vim & facultatem accipiunt, atque stellæ à solis lumine splendorem mutuantur. at, quæ demum portenta in eis atque prodigia conspicientur? ea nimirum, quæ veritas ipsa apud Matthæum exponit, cum dicit, *Stellæ cadent de cælo.* quid est, de cælo cadere, nisi in illo divino judicio, si quis meritis ac viribus suis nitatur, non posse consistere? quod nam astrum, splendidius Iobo, lucebat? qui etiam soli ipsi justitiæ, Deo, admirationem faceret, cum humani generis hosti ita diceret, *Num quid vidisti servum meum Iob, quod non sit illi similis in terra?* qui etiam documentum fidei, documen-

tum patientiæ, proponitur. at vir hic sanctissimus, Dei, ut ita dicam, amor deliciæque, quoties sibi ejus judicialis diei veniebat in mentem, quem diem, quia abditas hominum cogitationes aperiet, mane appellat, ita eum horrebat, ita quæstionem illam severissime à Deo exercendam formidabat, ut, si sibi in eo causa dicenda esset, de damnatione sua non dubitaret. *Et, si mane*, inquit, *me quæsieris, non subsistam.* His igitur signis tanta ad perterrendum vis inerit, ut, ex Salvatoris nostri verbis, animos, exspectatione suspensos, ad insolitum terrorem raptura sint, & membra in rigorem perductura, *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione* eorum, *quæ supervenient universo orbi. Supervenient*, inquit; quia nec opinantes oppriment; quia, quo minus provisa, eo graviora provenient. multa sunt in opinione hominum, quæ ab ea, de improviso, evertentur; sed ea in primis cogitatio, quæ altiores in multis radices infixit, nimirum Dei clementiam, seu potius patientiam miram & singularem, quæ à præsenti improborum supplicio se continet ac reprimit, esse perpetuam: at subitus divinæ iracundiæ furor, dolore injuriarum commotus, hanc dementissimam opinionem, vanitatis stultitiæque coarguet, & illum lenissimum patrem, severissimum judicem esse factum, ostendet. *Tacui semper, silui, patiens fui; sicut parturiens loquar.* nulla iracundia ita in furorem evadit, ut quam patientia diu continuit; nullus dolor ita in gemitus & clamores erumpit, ut qui mulieres, fœtum ejicientes, invasit. tum Deus clamores, ut parturiens, edit, cum æternæ damnationis sententiam in improbos, diu suppressam, infligit; tum clamores & gemitus tollit, cum, ira compulsus, universam ad feriendum vim exhibet. ita cursores in stadio olim, quam maxime poterant, exclamabant, ut vires ad currendum intenderent; ita hostis, cum ferit adversarium, ingemit, ut corpus magis, in profundenda voce, firmetur, veniatque plaga vehementior. quas igitur voces, dum pro improbis injuste damnaretur, continuit, has, in eisdem condemnandis, impetu magno profundet; quos gemitus, dum pro eis velleretur, cæderetur, in crucem ageretur, compressit, hos, in eis percutiendis feriendisque, validiores emittet. tum illud quam

inanem

inanem hanc opinionem profligabit atque prosternet, quod ante ejus tribunal stabimus, qui non solum judicis severitatem, verum etiam actoris vim & acrimoniam, sumet! *Ego sum*, inquit ille, *judex & testis.* judex, qui nec poterit precibus flecti, nec pecunia corrumpi, nec artificio & gratia perverti; apud quem nemo alius, præter reum, ad dicendam causam admittetur. quamobrem nobis neminem adhibere licebit, neque advocatum neque patronum, sed nobis ipsis pro nobis erit, maxima omnium Angelorum atque hominum, quot sunt quot fuerunt quotque futuri sunt, corona, dicendum. unus nobis socius atque defensor non eripietur, conscientia nimirum nostra. at hæc nihil dicet pro testimonio, nisi quod erit verissimum. itaque, ita nos suis testimoniis obruet, ut, quo minus condemnempr, recusare non possimus. postremo hanc temerariam fiduciam jugulabit atque conficiet acerrima illa Christi judicantis cognitio, qua ea, quæ sancti viri, pie, caste, vel cum aliquo ejusmodi probitatis officio, fecerint, in judicium disceptationemque vocabit, atque, ut uno verbo amplectar, *justitias judicabit*. ergo, quid animi fore illis miseris putas, qui, flagitiis ac sceleribus cooperti, recte aliorum facta, in illud severissimum judicium venire conspexerint? quid sibi ex suis malefactis metuent, quum aliis, ex ipsorum virtutibus, prope exitium adesse animadverterint? si ejus expectatione judicii suspensi contremiscent ac pene obrigescent ii, qui omni studio à pueritia elaborarunt, ut paratiores semper promtioresque ad illud judicium accederent, quis eos metus, quis terror invadet, qui nunquam ejus diei cogitationem suum in pectus demiserunt! at in diem est, inquiet aliquis, quod hic Christus minitatur; *erunt*, inquit, *signa in sole, luna, & stellis*: multa enim tempus & occasio ferent, quibus, ante diem judicii, severum illum judicem mitem placidumque reddamus. ita ne, quod debet terrorem injicere, id tibi animos addit? quod debet à scelere revocare, id sceleris causam affert? quid est tam incertum, tam dubium, quam natura futuri? unde nullum certum ejus spatium à nostris definitur, sed intra angustissimos unius vocis cancellos includitur. solum præteritum tempus, ut est divisum in partes, ita etiam varias

dilatatur in voces; alio enim modo appellatur id, quod multo ante, alio, quod nuper elapsum est tempus, alio id, in quo cœptum est aliquid fieri, nondum tamen ad absolutionem perfectionemque perductum. quid igitur in tanta futuri temporis incertitudine, si nobis recta mens esset, subvenire deberet, nisi, posse nos hodie, nunc, ab hoc die, opprimi, quæque jam pridem quæque nuper perperam egerimus, quæque incepta nondum absolverimus, quemadmodum divisa sunt temporibus, ita etiam posse variis in nobis pœnis suppliciisque puniri? deinde, quis audeat affirmare, nulla nunc in sole, luna, stellis, ejusmodi signa atque prodigia conspici, nisi, qui aut plane cœcus sit aut paululum in altum oculos nequeat attollere? quid enim illi tam multi atque perpetui sanctorum hominum in vita labores, ægritudines, exilia, damna, dedecora, cruces, sunt, nisi magna hæc, quæ dicimus, in stellis prodigia? quid autem multæ tribulationes justorum ostendunt, nisi horribilia illa exempla, quæ in improbos ac sceleratos edentur? D. Paulus, cum Christianos ejus ævi ad patientiam hortaretur, (multis enim cum ærumnis tum conflictabantur,) ideo, inquit, vobis, hæc ferenda fortiter & patienter existimo, *ut nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra, & fide, in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei.* hæc, inquit, cogitatio perpessionem malorum, quæ sustinetis, vobis leviorem efficiat, quod in vestris ærumnis ac cruciatibus, tanquam imago quædam futuri divini judicii cernatur, (hæc enim est ejus loci sententia.) Atqui, si Deus res adeo difficiles, asperas, perpessu graves, iis præbet quos diligit, qualia iis objiciet, quos odio inimicitiisque prosequitur? si ita durus est pater, quantam judex severitatem accipiet? si damnis & doloribus afficit quos suscipit ut erudiat, quibus pœnis suppliciisque male eos accipiet, quos arripiet ut puniat? ô cœcos homines, suæque salutis prorsus oblitos, quos res hæc tam clara, tam manifesta, tam certa, non tangit, non perturbat, non percutit, non, ut sibi prospiciat, impellit! sed fiet, ut timorem suum conferant in tempus, cum inutilis erit, cum tam pulchræ occasionis, quæ nunc amittitur, memoria, tanquam stimulis ardentibus,

tibus, miseros fodiet, cruentabit, lacerabit ac distrahet. felices eos, qui nunc in se ipsi inquirunt, ne postea in supremo judicio, de ipsorum flagitiis, quæstio habeatur: sapientes & fortunatos, qui in sese pœnas ac miserias attrahunt, ne æternis pœnis suppliciisque tradantur.

Hoc illud est prandium, neque opiparum neque opulentum, quod tibi hodie famelico antepono, unde jejunior fortasse discedas, quam veneris. non enim est, quod à me expectes sententias novas, inauditas, admirabiles, atque ex abdito erutas. nam si isthæc à me desideras, liceat illud dicere, quod avarus ille senex respondit ei qui plura ac sumtuosa eduliorum genera in cœnam parari jubebat, *Nominandi istorum tibi erit magis, quam edundi, copia, hic apud me*, Hugo. proinde, quando omnibus his diebus Dominicis Adventus Domini mihi condicis, si quotidiani victus ventrem ad me feras, recte facias; hoc est, si usitatis, communibus ac vulgaribus rebus, quæque cuivis venirent in mentem, contentus sis, comiter à me atque humaniter excipieris: at, si exquisitis terra marique epulis, sententiis nimirum à nemine adhuc excogitatis & inventis, expleri postulas, non pauperum, cujusmodi mea est, sed divitum mensas obeas oportet, atque ad amœna, elegantium istorum hominum, ingenia, qui in suggestis tonant, fulgurant, ac permiscent omnia, te conferas; ad eorum eloquentiam & doctrinam, tanquam ad mensam uberem ac plenam, ut antea dixi, tuo arbitratu atque affatim poteris maximarum pulcherrimarumque rerum scientia pectus complere. Vale. III Kal. Decemb. CIↃ IↃC XXXVI.

II.

Oportebat omnino, Hugo religiosissime, ut, antequam de Dominicis diebus Adventus Domini sigillatim ad te litteras darem, aliquid in universum de toto hoc tempore, quemadmodum salutariter à nobis transigi posset, excogitarem, tecumque communicarem; sed nescio quo pacto, sum oblitus, quod tu prudenter ad memoriam redegisti; de quo magnas tibi gratias ago, atque, ubi me in his rebus memoria defugerit, ibi tu facito ut

ſubvenias ſemper. locum igitur à me prætermiſſum, te autore reprehendo. qui quidem, ſi hominum ſive ſtupiditatem ſive negligentiam ſive contemtum ſpectemus, qui quidvis aliud cogitant hoc tempore quam de Chriſti Domini adventu, dignus eſt in quo paululum immoremur. at D. Bernardus, vir ſanctiſſimus, quoties ardens illud veterum ſanctorum Patrum deſiderium meminerat, toties pudore omnium maximo corripi dicebat, & ingratam ſui ævi hominum negligentiam multis cum lacrimis deflebat, qui, tantum ac tam inſigne beneficium adepti, neque illud grato animo proſequerentur, neque aliquam ejus autori Deo gratiam referre contenderent. Illud vero ingratum noſtrum animum in primis arguit, quod caduca atque fragilia hujus vitæ bona ita exſpectamus ac diligimus, ut ſupra addi nihil poſſit. qui divitiarum vel voluptatum vel honorum ſtudio ducitur, quos labores non capit? quas ſolicitudines non admittit? quæ pericula non adit, quo id, quod cupit, aſſequatur? cujus ſi ipſum potiri contingat, qua lætitia perfunditur! quibus gaudiis exultat! ſed cur non, pari ardore & cupiditate, Chriſti adventus exſpectatur ac diligitur? atqui hujus pernicioſiſſimæ negligentiæ ac contemtus nullam aliam eſſe cauſam invenio, præterquam ſummam eorum bonorum ignorationem, quæ nobis ex Chriſti nativitate proveniunt. nemo amore ſtudioque in id fertur, quod non intelligit neque novit. omnino, rei cujuſvis amorem, ejuſdem notitia antecedat neceſſe eſt; voluntas enim noſtra, cum cæca ſit, illuc amorem ſuum ſtudiumque traducit, quo à lumine intelligentiæ compellitur. quamobrem operæ pretium eſt agnoſcere, quid boni ſecum afferat Chriſti nativitas. ac duo in primis bona, maxima ac præſtantiſſima, generi hominum ab ea importari comperio. primum, pacem inter ipſum & Deum. ſummum profecto ac ſingulare beneficium. quid enim tam horrendum atque exitiabile poteſt nobis accidere, quam Deum ipſum capitales nobiſcum inimicitias gerere? ipſum, inquam Deum, unde felicitatis noſtræ tota ratio dependet; unde nobis eſt, quod vivamus ac ſimus. quamobrem veteres illi ſancti Patres, cum de Meſſia loquerentur, fere etiam ſemper pacis mentionem faciebant; modo enim ajebant,

ajebant, *Pax erit in terra nostra, cum venerit*; modo, *Erit in diebus illis abundantia pacis*; modo alia multa, in hanc sententiam; quæ, quoniam tibi sunt notiora quam mihi, prætereo. quid? ipse Dei atque hominum mediator Christus, nonne princeps pacis, ac Rex pacificus appellatur? Prophetæ etiam ipsi, divini verbi præcones, nonne Angeli, hoc est, pacis nuntii, dicuntur? sed quid mirum, si tanta pacis cupiditate inflammati raperentur? nimirum intelligebant viri sanctissimi ac Dei spiritu pleni, quam esset nobis calamitosum & exitiale, Deum inimicum habere: verum, ea pax aliter obtineri non poterat, nisi unigenitus Dei filius ita cum homine implicaretur, ut ex Deo & homine una Christi persona consisteret. nam, quæ poterat Deo nobiscum pax esse, dum æternum Dei verbum in sinu Patris contineretur? esset ne ille pro nobis intercessurus ad Patrem, cujus injurias æque ad se pertinere intelligebat, qui, ob amorem suum, in Patrem, summum & singularem, ut Patri à nobis satisfieret, postulabat? quod si evenisset, ut nobiscum naturæ ejusdem societate copularetur, tum non poterat recusare, quo minus causam nostram susciperet; caro enim ex carne nostra, atque os ex ossibus nostris, pertinere etiam ad sese erat arbitraturus, omnes Deum inter atque homines discordias inimicitiasque sedari. verum seculis præteritis hic tam faustus ac felix mortalibus dies non illucescebat, ac fidelis populus, ferendo expectandoque, prope animum desponderat, ac Prophetarum, pacem euangelizantium, voces illudebat, eosque propemodum mendacii arguebat. Patres nostri annunciaverunt, pax pax, & non est pax. hæc audientes, quid facerent Angeli pacis? restabat aliud nihil, nisi ut insolabiliter flerent, atque humiles illas tamque demissas Deo preces effunderent, *Veni Domine, veni, noli tardare; rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* atque id primum est beneficium, quod nobis ex Christi nativitate confertur; nimirum, unigenitus Dei filius, & cum eo pax nostra. alterum vero beneficium longe maximum ac præstantissimum est, quod non solum in amore & gratia cum Deo constituimur, verum etiam in numerum ac locum filiorum Dei cooptamur. *quotquot autem recepe-*

runt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri; qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. cui nam unquam Angelorum vel hominum venisset in mentem, ut posset homo in tantum honorem ascendere? atque in hanc sententiam dictum est à Christo divinitus, verbum Dei (quod est ipsemet Christus) tanquam aliquod semen, in animas nostras immitti. *Semen*, inquit, *est verbum Dei.* at ea est seminis ratio atque natura, ut non otiosum jacere, sed terræ gremio mandari debeat, ut cum fœnore, id est, multiplicatum, reddatur; id enim ex semine fœnus exigitur. verbi igitur æterni fructus id demum erit, ut, animis mortalium exceptum, quam plurimos Dei filios edat. Et sane, fertilis Ecclesiæ ager, non est tantam hanc spem ementitus. etenim pene innumerabiles Dei filios extulit, tot Martyres, tot Confessores, tot Virgines, tot alios, omnis generis, ætatis, atque ordinis, homines. *vide* igitur, *qualem caritatem dederit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* His duobus beneficiis à Deo in Christi nativitate ornamur; sed non omnes, verum ii tantum, qui ad ea percipienda habiles atque apti inveniuntur. nam, pax & satio sunt ex eo genere rerum, quæ antecedentem curam diligentiamque requirunt. nisi enim antea, irati hominum animi, leni oratione, mitigentur, vel nisi antea tellus, ad satus accipiendos, cultione præparetur, neque pax ulla consequi, neque aliqua ex semente percipi utilitas potest. ac primum, quæ præparatio potissimum adhibenda sit ad pacem obtinendam, ex Angeli verbis ediscitur, qui optatissimum pacis nuncium pastoribus attulit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* duo à nobis exhibenda præcipiuntur; voluntas primum, tum bona voluntas. Quam pauca, inquit Augustinus, quam non operosa exiguntur, ad æterna bona percipienda! quod si aspera, difficilia, acerba, imperarentur, non essent recusanda, sed alacri animo obeunda, quo Deo potiremur. at vide, si labor est, ubi velle satis est. si hujus vitæ bona, tam parva mercede, compararentur, non tam multi conspicerentur, summis laboribus, difficultatibus, ac periculis, ad divitias honoresque contendere, neque tamen plerunque, eo quo volunt, pervenire. at, cur in rebus terrenis voluntas

tas sola nihil fere nos adjuvat? quia, respondet Augustinus, consequentem non habet facultatem. sed quamobrem, in sola virtutis voluntate tam admirabilis ad eam consequendam vis inest? quia, plene virtutem velle, justitia est. bene agis Augustine. nam qui nullo virtutis amore incenditur, abest à justitia longissime, ac propterea maximo se scelere alligat. itaque ad Deum consequendum necessaria in primis est hominis voluntas; verum, ut antea diximus, non quævis voluntas probatur, sed ea solum, quæ bona sit. Etenim pax ista non aliis datur, nisi *hominibus bonæ voluntatis*; bonam autem voluntatem interpetror, ex Bernardo, humilem, demissam, non magna, non excelsa appetentem. quocirca, quo quisque erit demissior, ac sui ipsius contemnentior, eo meliori præditus voluntate censebitur. qua nocte, pacis ad nos nuncius, è cælo delapsus, advenit, præerat Hierosolymis Herodes, Regis autoritate & nomine; aderat etiam sacerdotum omnium princeps, aderant multi, amplissimis ornati muneribus: verum, quia eorum animi, partim æstuabant ambitione, partim superbia efferebantur, partim habendi studio flagrabant, ac propterea hac bona carebant voluntate, ne nomen quidem pacis audire meruerunt, sed ea foris tantum est cum pastoribus communicata. jam tum Deus se abscondebat à sapientibus & prudentibus, & revelabat se parvulis. sed quid ambitiosus & elatus aspirare ad hanc pacem audeat, cum hominis superbia & contumacia fons & origo omnium cum Deo inimicitiarum extiterit, cum Deus ipse, quo tempore ad hanc pacem cum hominibus componendam venit, se ipsum, ut Apostolus inquit, exinanierit, & servi formam induerit? at, quæ nam est hæc nostra superbia? ille, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, se ad hominem demisit; homo, propter elationem animi atque superbiam, naturæ fines transire, & ad oppugnandum divinum principatum, more gigantum, egredi audebit, memor improbissimi illius promissi, *Eritis sicut dii*? ô superbiam non ferendam! ô impietatem, æterna morte plectendam! *Non est pax impiis, non est pax impiis*. D. Augustinus bonam voluntatem appellat eam, quæ sana est. ergo, cum Angelus dixit, *pax hominibus bonæ voluntatis*, perinde est ac si dixisset,

xisset, *sana voluntatis*. ac primum sanitatis argumentum est, medicum non refugere, cujus solius gratia sanari potest à morbo desideriorum noxiorum, dicebat Socrates, doctor singularis; qui Socrates, Philosophiæ præceptis, ægris se animis mederi profitebatur; dicebat, inquam, perfectum sibi opus esse, si quis satis esset concitatus sua sponte ad studium cognoscendæ percipiendæque virtutis; nam, quibus id persuasum esset, ut nihil se mallent esse quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam. sapiens videlicet homo, intelligebat, non eandem esse corporum animorumque rationem; non enim corpora, statim ut curari cœpta sunt, convalescunt; at animus æger, simul ac se curationi objecit, continuo ad sanitatem perducitur. id etiam medicus animarum nostrarum Christus exclamat, id vociferatur, cum dicit, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis; & ego reficiam vos; tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* postulat tantum, ut accedamus, ut velimus; nam statim sanos nos futuros ait; atque id sua promittit fide. at, quod genus curationis adhibet? illud nimirum, ut gravissimum peccati jugum à cervicibus nostris dejiciat, ac suum ipsius imponat; quo jugo non premimur, sed levamur. omnino, qui, cupiditatum suarum æstu abreptus, hac illac impellitur, sanus non est, ac propterea veræ pacis expers invenietur. nam ubi pax, ibi requies; ubi requies, ibi finis appetendi, & nulla causa laborandi. alterum recte valentis animi argumentum esse, ait Augustinus, rectum in animo partium ordinem & compositionem; cum videlicet ita in eo ordinata sunt omnia, ut id, quod est in homine præcipuum & excellens, hoc imperet ceteris, atque istuc ipsum quod excellit, mens nimirum & ratio, subjiciatur potiori, quod est ipsa veritas, id est, unigenitus Dei filius. & hæc est pax, quæ datur *hominibus bonæ voluntatis*. nam ubi appetitus imperat, ratio obtemperat, ibi nulla pax vigeat, sed summa potius perturbatio atque confusio adsit oportet. ut enim ea civitas, in qua tumultus seditionesque versantur, sana non est, & ut corpus illud, ubi noxius aliquis humor dominatur ac viget, sanitate similiter caret; ita, neque ille animus sanus habetur, in quo appetitus rationem invadunt, eamque
de sua

de ſua ſede deturbant. poſtremo *bonæ voluntatis* nomine, non ineleganter, nova voluntas intelligitur. novum & inuſitatum eſt, ut paupertas, inſectatio, infamia, damna, dedecora, cruces, atque aliæ id genus ærumnæ, expetantur, amentur, atque in deliciis habeantur. atque novam hanc voluntatem Chriſtus, exoriens, in nos primum invexit. nam antea ſummum uniuſcujuſque votum erat, deliciis affluere, divitiis abundare, opibus honoribuſque florere: at ille, his omnibus repudiatis ac rejectis, ſummo ſtudio amplexus eſt inopiam, dolores, contumelias, crucem. atque nova hæc voluntas, tantam ad veram pacem obtinendam vim habet, ut, ubi ea non adſit, pax quoque inde abſit oporteat. neque, quoquo te vertas, quidquam aſpicias, quod ita nos Chriſto ſimiles reddat, ut hæc ſimilitudo voluntatum atque ſtudiorum; ut Chriſtus etiam in Euangelio, ejuſmodi homines, voluntate ſtudiorum ſibi conjunctos, Dei filios, ſuos videlicet fratres, appellet. *Beati pacifici*, hoc eſt, ex hac ſimili cum ipſo voluntate pacem adepti, *quoniam filii Dei vocabuntur*. ut egregie, ſicuti cetera, Leo Pont. dicat, proximis his feriis Chriſto naſcenti ſacris, non magis Chriſto, quam novæ hujus voluntatis hominibus, natalitia dari; adeo ut, dum Salvatoris noſtri adoremus ortum, inveniamur, ſi nobis pax illa contingat, noſtrum celebrare principium. ſicut enim cum Chriſto in ejus paſſione crucifixi, ita etiam cum ipſo ſumus in ejus nativitate congeniti. quid eſt cauſæ, cur una ſæpe verberatio noſtra, una lacrimula, unus aquæ frigidæ calix, Chriſti cauſa datus, ſummam Deo pro peccatis maximis ſatisfaciendi, vim habeat, niſi quia, ſicut Chriſti crux pro peccatis omnium hominum cumulatiſſime Deo ſatisfecit ideo, quod filius Dei erat, ita etiam hæ pœnæ, ultro à nobis ſuſceptæ, & Chriſti meritis innixæ, maximas peccatorum maculas eluunt, quia Deo filiorum loco ac numero ſumus? quod tantum ac tam divinum beneficium ſecum ipſe cogitans Iob, vir longe ſanctiſſimus, *Vtinam*, inquit, *appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in ſtatera; quaſi arena maris hac gravior appareret.* quid, vir ſanctiſſime, iniquitatis injuſtitiæque Deum inſimulas, quod peccatis pœnas longe graviores infligat?

Minime,

Minime, inquit Gregorius; sed, stateræ nomine, Dei atque hominum mediator Christus exprimitur. in hac statera, quidquid pœnæ nomine sustinemus impositum, quavis culpa gravius atque depressius invenitur. Hac igitur ratione, ab Angelo demonstrata, præparandi sumus ad pacem amplectendam. Quæ autem præstanda sint, ad semen divini verbi cum fructu excipiendum, sunt illa quatuor, quæ à Christo Domino commemorantur. primum, danda est opera, ut in terram bonam cadat. verum, hac cura liberavit nos Deus, qui unicuique animum, si excolatur, perquam optimum dedit. deinde, cavendum est, ne aliquis ad eum prætereuntium aditus pateat, ne ex agro, ad hoc divinum semen excipiendum idoneo, via publica fiat, &, quod in eo satum est, aut avium prætervolantium morsibus decerpatur, aut bestiarum, iter habentium, pedibus conculcetur ac proteratur; quod tum maxime accidit, cum *omnipotens* hic *sermo de cælo à regalibus sedibus venit*. Etenim oppido, quo parentes ejus venerant, prohibitus, tectoque à nemine receptus, secus viam, ante pedes pecudum, jacuit. sed nullum, ejus fœcunditati, incommodum accidit. feræ autem bestiæ, quæ in agrum animæ nostræ conantur irrumpere, cupiditates sunt nostræ, ac nisi diligenter ab ea arceantur, ut diximus, quidquid ab hoc semine prodiit ac crevit, tanquam calamitates aliquæ, intercipient. Tertio loco, removendi sunt lapides. nam, quum humore careant, omnis in eis serendis colendisque opera luditur. lapides autem, quid potius esse dixerim, quam corda nostra, quæ superbia & consuetudine peccandi obduruerunt, quæ ita, pœnitentiæ vi, conterenda sunt, ut in pulverem redigantur. Postremo, omnis ab anima nostra herbarum, hoc est, malarum cupiditatum, luxuries depascenda est ferro timoris Dei, ac præterea omnis spinarum frutex evellendus; videlicet, ex Christi interpretatione, omnis divitiarum amor radicitus exstirpandus. nam, si permittatur in nobis hærere, quidquid ortum est boni, occœcabit atque opprimet. His igitur studiis atque laboribus, Hugo mi optime, præparemus animas nostras, tum ad pacem cum Deo conciliandam, tum ad divini verbi semen excipiendum; neque ullam diligentiam, quantumvis magnam, supervacaneam existime-

existimemus. quod si D. Bernardus, qui fuit exemplum, ut scimus, innocentiæ, sanctitatis, virtutumque omnium, quæ ab ipso fiebant, pœna potius quam præmio digna existimabat; quid de nobis fateamur oportet, qui tanto intervallo infra tanti viri sanctitatem & innocentiam invenimur?

III.

DOMINICA II ADVENTVS.

Adest alter dies Dominicus, Christi Adventus. præsto tibi sum, ut ex pollicitatione mea, alterum sermonem contexam. at unde potius exordiar, quam ab illis verbis ex Matthæi Euangelio, *Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi?* sed, quid, inquam, exordiar? immo unde totius sermonis, sive malis epistolæ, materiem desumam? magnam enim mihi utilitatem ex iis emanare comperio. *Cum* igitur *audisset Ioannes in vinculis opera Christi.* Ecquando aliquis in suis rebus secundis, & ad voluntatem fluentibus, de Christi operibus magnis & admirabilibus audivit? ecquando, voluptatibus circumfluentibus, de salute sua solicitus quisquam extitit? catenæ, vincula, carcer, exilia, damna, Christi noticiam afferunt; res arduæ atque difficiles, meliorem nobis mentem injiciunt. neque tamen dicitur de Ioanne, quod in vinculis opera Christi audierit, quia tum primum fama & auditione illa percepérit. nam oculis atque auribus multo illa ante acceperat, ac præsertim cum, ad fluenta Iordanis, Spiritus sanctus in columbæ specie descendit, & vox, de cælo à magnifica gloria delapsa, Christum verum atque unicum filium Dei esse, palam edixit. sed utilitatis nostræ causa, id tum primum factum esse narratur. sed quam habet utilitatem hæc res? eam nimirum, ut admoneamur, nusquam melius Christum agnosci quam in carceribus & in ærumnis, nusquam uberiores vitæ fructus colligi quam arduis & adversis ex rebus; ex quibus illa numerantur in primis, *Cæci vident, surdi audiunt, leprosi mundantur, pauperes euangelizantur.* Ac primum, non potest verbis ita dici, quam re ipsa verum est, calamitatibus

mitatibus & ærumnis, cæcorum oculos aperiri. habent hoc voluptates, & res ad arbitrium nostrum euntes, ut, quos eæ nimium delectant, mentis luminibus exuant, & tanquam tenebris obruant; sed vix, ex improviso, aliqua calamitas incidit, cum statim tenebræ, quas voluptas induxerat, discutiuntur, & lux clarissima, earum loco, succedit, quæ præcipitia ac fossas, in quas miseri properabant, exponit, erroresque, quibus implicabantur, ostendit. quid faciat cæcus, si, ad respiciendam lucem revocatus, aut aberrasse, aut præcipitio cuipiam imminere se, noverit? illud, opinor, si sapiat; revocet gradum, investiget, inveniat, oret, qui se reducat errantem in viam; tum posita ante pedes pericula reformidet. quid aliud agit, nisi sit plane desperatus ac perditus, cui interiores animæ oculi aperiuntur, nisi, viam, quam deseruerat, repetit, Dei auxilium implorat, ductum sequitur, pericula, in quæ ferebatur, exhorret? possem istud exemplis confirmare; nam plura, ex omni seculorum memoria suppetunt; sed tibi non est necessarium: satis est, locum indicare; nam multa venient in mentem, quæ partim legeris, partim audieris, partim etiam oculis ipse tuis acceperis. itaque ad alteram utilitatem transeo, quæ, ex re adversa, superiore nihilo minor accipitur. nimirum aures, quas humana felicitas clauserat, ne divinæ vocis sonum intromitterent, aperiuntur ac patefiunt. *Surdi audiunt.* qui, dubius, incertus, hanc plenam periculis ac terroribus mortalis vitæ viam ingreditur, non minus in lubrico versatur, si nihil audiat, quam si nihil videat. etenim in singulis fere passibus insidiæ occultantur, fossæ ad decipiendum obductæ delitescunt; imperitus ac rudis viarum huic se itineri tradit, in eo insidias sibi locatas ignorat, quibus locis foveæ, levi sabulo aut ramis vel floribus tectæ, ad ipsum decipiendum sint ductæ, non videt. quid igitur? auxilio destitutum hunc Deus periclitari permittit? minime; sed peritos viarum identidem duces & comites itineris addit, qui magna voce unum quodque eidem periculum indicent, qui clament, vociferentur: Hic fossa est ingens, hic fluvius, hic hostis, hic insidiæ latent. quod si vacuas & attentas aures clamanti non præbeat, vel si audiendi sensu prorsus destituatur, quomodo admonitiones

monitiones admittet? quomodo pericula, quæ ignorat, effugiet? profecto, aut à fossa aliqua excipietur, aut à flumine abripietur, aut insidiis inimicorum circumventus opprimetur. at nihil interiorum aurium ædes ita habet obstructas, ne qua vox missa irrumpat, ut felix rerum omnium eventus. hic tanquam munitiones quasdam, nisi admodum caveatur, ante aures statuit ac firmat, unde interior vox omnis excludatur. sed quas munitiones felicitas exstruit, calamitas diruit, latissimumque venientibus ad aures vocibus aditum aperit, quibus perterriti posita ante pedes pericula evitemus. Hactenus, quod diximus, in iis surdis locum habet, quorum aures, re aliqua extrinsecus objecta, munus suum præstare non possunt. longe alia ratio est eorum surdorum, qui id, quod audiunt, non exaudiunt, hoc est, qui auribus apertis atque patentibus, venientes ad se voces rejiciunt, neque eos permanare in animum sinunt. superioribus surdis curandis, ea satis est removere, unde vox missa repellitur; videlicet, honores, vel opes, vel divitias, vel saltem earum rerum cupiditatem, unde hæc obstructio prodit, excludere. at, quis erit huic curationi locus in iis, quorum auditioni nihil auribus oppositum officit, in quibus totam surditatis causam, non aliqua aurium obstructio, sed voluntatis perversitas efficit, vitio depravatæ consuetudinis? quid huic facias, cui hoc ipsum molestum est quod audit, cui sunt odio qui admonent? nihil opinor, nisi, ut impleri ejus votum sinas, hoc est, exitium, in quod ruit, eidem maturius patiaris accidere. quod enim ita in malo pertinaciter hæreat, ad Dei iracundiam, injurias sibi factas vindicantis, pertinere existimandum est, qui, ut postea omnes in eum pœnarum acerbitates exerceat, *excæcat*, ut inquit Isaias, *cor ejus*; hoc est, voluntatem ipsius tenacissime vitiis adhærescere, ex suæ libidinis arbitrio, sinit; ita ut videns non videat, audiensque non audiat, ne forte, si audierit, conversus à vitiis atque peccatis, sibi elabatur è manibus. Tertio loco, adventus perpessioque malorum fugat ab anima lepram. *leprosi mundantur*. inter animæ lepram, eamque, quæ cuti exterius obducitur, hoc interest, quod hæc non antea ad sanitatem pervenit, quam medicus & curatio adhibeatur, animæ vero lepra, simul ac

ægræ, sanitatis voluntas accedit, removeatur. qua nam alia ratione illi sanitas rediit, qui, apud Matthæum, hoc eodem morbo affectus, Christi opem imploravit, præter hanc unam? nam, rogatus, an sanari vellet, cum se non nolle dixisset, statim deinde sanus factus est. sed quorsum, inquies, hæc pertinent? nimirum eo, ut intelligamus, nullam rem peræque valere ad impellendas nostras voluntates, ut sanari non nolint, atque repentinam aliquam in nos rerum adversarum vim & impressionem. non enim potest sanitatem expetere, qui se ægrum esse non norit. hanc autem ignorationem, ut secundæ res invehunt, ita adversæ repellunt. morbis autem perspectis & cognitis, quis nisi stultus non medeatur? qua nam curatione? qua non sit facilior altera; videlicet unico voluntatis assensu. si, tam parvo negotio, corporis morbi depellerentur, quis punctum temporis interponeret, ad sanitatem revocandam? animæ vero sanitas, non alia ratione negligitur, nisi quia facile obtinetur. quæ est ista conditio animæ, quæ, quia ceteris rebus antecellit, ideo omnibus rebus postponitur? cur tam iniquo jure est? cur res omnium pretiosissima, æstimatione nostra, pretium non habet? at nos, mi Hugo, Deo bene juvante, demus operam, ne in illis filiis hominum numeremur, qui *mendaces in stateris suis* à Davide dicuntur; illudque unicuique rei pretium constituamus, quod ad ejus dignitatem pondusque respondeat. ac si, dum omnia hujus vitæ commoda suppetunt, anima negligitur, spernitur, pro nihilo ducitur; ex contrario, si, dum hæc absunt, amatur, curatur, in pretio habetur; facessant divitiæ, paupertas adsit; valeant, quæ, vulgi judicio, numerantur in bonis; vigeant, quæ, eodem judice, ducuntur in malis. quis interdum, velut execrationes, parentum & amicorum vota non detestetur? qui, dum optant nobis opes, copias, divitias, potentiam, bonam valetudinem, non vident, quantum sæpe nobis mali precentur. quanto illis, sapientius, quos diligere videntur, consulerent, si contraria istis vota facerent! sed mittamus sermonem istum, nosque ad reliquos fructus, qui ex calamitatibus percipiuntur, referamus; quorum ille est maximus, quod, qui calamitatis cujuspiam beneficio sunt meliores effecti, utilitates, ex rebus

rebus adversis prodeuntes, non tacent, sed prædicant, extollunt, cum aliis communicant. *pauperes*, inquit Christus, *evangelizantur.* quanta cum audientium utilitate, nihil necesse est dicere; satis enim se offert, volentibus eam aspicere. rudes & inexperti, rebus, sibi incognitis, multum plerunque delectantur, ac fidunt, &, nisi prudentis cujuspiam consilium accedat, adversis sæpe casibus excepti, pœnam temeritatis, non sine magno ipsorum damno, persolvunt. dulcis est, mundi perfidiam nondum expertis, perpetuus & nulla adhuc calamitate interruptus humanæ felicitatis cursus, item atque suavis res navigatio videtur iis, qui nunquam sunt mare ingressi neque adversa tempestate usi. quod si quis eisdem, maris sævitiem, ventorum rabiem, fluctuum impetum & pugnam, exponat, quanto eos ad cavendum paratiores efficiat! similiter, minus multi, in rebus prosperis, animos tollant, vel in adversis deprimant, si, alicujus oratione, de rerum humanarum vicissitudine, ac bono miseriarum, edocti, felicitates suas suspectas habere, aut etiam calamitates amare perdiscant. sed refert multum, utrum is, qui hortatur, doctus an expertus ad dicendum accedat, utrum res alterius an suas in exemplum adducat. etenim ridetur plerunque is, qui rei, quam tradit, nullum usum habeat. quis æquo animo eum audiat, qui agri colendi aut militiæ exercendæ præcepta palam exponat, cum ipse nunquam agrum, nunquam castra, conspexerit? ejus autoritas gravis habebitur, qui, multos annos in agro vel in bello versatus, laboribus sustinendis vulneribusque suscipiendis, agrorum militiæque artem usumque didicerit: itidem, si quis locuples paupertatem commendet, si quis, honoribus præditus, contumelias extollat, vix cuiquam fidem ejus quod loquitur faciet; nam statim, ad eam orationem, qui audit, abibit: Tu mihi egestatem laudes, qui opibus & divitiis abundes? tu mihi contumelias exornes, qui gratia & honoribus efflorescas? tu mihi res adversas concilies, qui non alias expertus es nisi secundas? tum mihi probabilem orationem tuam efficies, cum te, inopia & contumeliis affectum, non queri, non ingemiscere, sed eis prope delectari, conspexerim. atque in ea re, Euangelii testimonio, vel potius Christi oraculo, utentur, a

quo non divites, non honorati, sed pauperes, sed contumeliis affecti, euangelizari dicuntur. omnino opus est magistro ad hanc rem, usu magis quam doctrina, præclaro. ex hoc numero erat ille, qui, pluribus à Deo calamitatibus afflictus, in has voces erumpebat, *Bonum est mihi, quia humiliasti me.* at mihi, inquiet fortasse aliquis, nulla subest ferendi aliquid adversi facultas, nulla honoris vel pecuniæ amittendæ occasio; ab hoc igitur fructu, quantum audio, excludor. nunquam hæc tibi deerit occasio, si ad Christi præcepta vitam tuam accommodaveris. nam, *qui pie volunt vivere in Christo, persequutionem patiuntur.* perge, cum tuis cupiditatibus acriter fortiterque pugnare; intra rationis cancellos libidines cohibe, facultates tuas cum egenis communica; ad honores evectus, ne animos tollas; jam aptus ad hanc rem magister invenieris. si igitur tam multæ ex rebus adversis utilitates colliguntur, si cœcis visus, surdis auditus, leprosis sanitas redit, si denique infantibus ac rudibus, concionatoris vis & facultas contingit; nihil à nobis, mi Hugo, faciendum est prius, quam ut desistamus tam impense eas odisse, & in rebus pessimis ducere. Atque, ut de me tibi fatear, Hugo humanissime, semper cum adversa fortuna conflictatus sum. adolescens, vel potius puer, patrem amisi; at quem virum? ingenio præstanti, eleganti doctrina, judicio summo, Græcis litteris doctum, in quibus habuit exquisitos è Græcia magistros, Iuris consultum, in rebus maximis gravissimisque tractandis, usu, fide, ac diligentia singulari; qui potuisset me, principum virorum gratia, quibus ille in negotiis fidelem operam navaverat, ad opes honoresque perducere; sed, omnia summa sperans, est mortuus. moriens, usum fructum omnium bonorum suorum matri meæ legavit, ut frueretur una cum filiis; matri, inquam meæ, fœminæ quidem optimæ sanctissimæque, sed adeo sui juris sententiæque, ut ab ea opinione, quam semel animo imbibisset, dimoveri non posset. hæc, patris mei bene parta, indiligenter tutando, pene obtrivit. accessit frater, in quo magnum fuit generi familiæque nostræ detrimentum. nam, vitiis fere omnibus præditus, quorum plerunque affinis esse adolescentia solet, nepotinis sumtibus, ac præsertim pro

aliis sæpius intercedendo, properavit sese ad mendicitatem adigere. atque hæc juvenilis ejus licentia atque profusio, tanquam extra ripas diffluens, in bona etiam mea redundavit; ac nihil factum est propius, quam ut ejus causa egerem; sed prospexit mihi Deus, ejusque singulari providentia factum est, ut nullius opis indigeam, sed, tanquam coclea, dum maxime diei tempus fervet, succo meo vivam. nihilo minus tamen, fratris mei opera, pæne contigit mihi, ut pro foribus ædis cujuspiam sacræ, ire ad saccum liceat. extitit, ut ita dicam, ab orco, ille alter, qui me invitum ac repugnantem, in suam familiam attraxit, quique annos viginti continuos, ignotum, inglorium, inertem, domi suæ tenebris, clausum atque obrutum habuit. omitto, ne longum faciam, alias ærumnas graviores, quas sum perpessus. quibus fiebat, ut me interdum ærumnosum ac miserum appellarem. at nunc, lecto hoc Euangelio, conversam appellationem habeo, ac me pro ærumnoso deliciosum, pro invenusto felicem nomino. quamquam quid mihi ad felicitatem deest, siquidem felicitas nusquam, nisi in vita otiosa ac curis soluta, consistit? domum habito, in eo colle sitam, qua, amœnitate & otio, nulli aliarum urbis regionum cedat. domui proximus est hortus, sed brevi spatio interjecto; hujus spatii transitum ponticulo ligneo conjunxi, eumque ipsum, cum lubet, detorqueo; sed, cum demitto, ambulatio à summa aula ad ultimum hortum nec illepida nec ita brevis objicitur. mea igitur sorte contentus, quidquid mihi à Deo tributum est, quoad ipsi libuerit, utar. Vale. Prid. Non. Decembr. CIϽ IϽ C XXXVI.

I V.

DOMINICA III ADVENTUS.

PErgo, id quod tibi pollicitus sum, Hugo, præstare; videlicet ut, singulis diebus Dominicis hujus temporis, ad te aliquid litterarum dem, quod sit aptum ad eum diem. Hodie verba illa se mihi offerunt ex cap. I Ioannis, quæ in sacrificio Missæ leguntur: *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem*, ut in-

terrogarent eum, Tu quis es? neque est necesse, ut, pro eorum verborum interpretatione, ad interpretes confugiam; mei mihi improbissimi mores, ut paulo post ostendam, spiritualem eorum sententiam satis aperiunt; ut, cum ea legerem, quæ de Iudæis, de Sacerdotibus, de Levitis, de legatis ad Ioannem missis, de iis quæ in mandatis habuerant de Ioannis responsione, in iis meam indiligentiam, nequitiam, improbitatemque notari animadverterem. sed, ne ipse me morer, ad rem propius accedamus. *Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas ad Ioannem, ut interrogarent eum, Tu quis es?*

Ea erat hominum opinio de Io. Baptista, ut, si verbo affirmasset, se esse Christum, statim quidam quasi concentus consecutus fuisset voluntatis eorum, qui sermoni interfuissent. Erat hominis sanctitas incredibilis; concursus, qui fiebant ad eum, omnis generis & ætatis hominum maximi; genus vitæ inauditum; cultus corporis horridus atque asper; Christi expectatio ingens, quem, ex vatum prædictionibus, ea ætate venturum esse, constabat. Itaque his rebus impulsi Iudæi, Sacerdotes & Levitas, quos ad, ea res spectare videbatur, ad Ioannem allegant, percontatum ab eo, utrum esset Christus, an alius expectandus qui nondum venisset? Egregia sane Iudæorum pietas & diligentia, digna commendatione, digna laude, digna præconio. quid enim poterant facere elegantius, vel ad sui muneris functionem, vel ad communis salutis utilitatem, quam de eo investigare atque perquirere, quo universi generis humani salus & vita contineretur? ut mirum mihi videatur, reliqui temporis negligentiam ab hujus diei assiduitate studioque discrepasse. Adeunt igitur Sacerdotes & Levitæ Ioannem, mandata Iudæorum exponunt; quærunt, num ipse sit Christus. negat ille, atque, ne eos dimittat incertiores quam venerant, indicat, atque adeo demonstrat, sibi, nullo fere negotio, eum quem tantopere cupiunt, inveniant. quem locum, non in remotissimis regionibus latere, sed apud ipsos esse, respondet. quid multa? intra ipsorum numerum versari, quem quærerent. *Medius*, inquit, *vestrum stetit, quem vos nescitis.* hoc responso accepto, quid oportebat eos facere? nonne acrius perseverare, instare, perquirere,

quirere, neque antea quiescere, quam eum nacti essent, cujus inveniendi studio ita flagrabant? at ipsi nihil horum faciunt; sed protinus, omnem ejus perquirendi cogitationem curamque dimittunt. Venio ad me, quem hoc facto verberari præsertim intelligo. utinam non hoc eodem vitio laborarem. quam sæpe accidit, ut Ioannis, hoc est, alterius cujuspiam sive amici sive concionatoris voce commotus, ad perquirendum Christum excitatus sim? cui illud idem responsum est, quod Sacerdotibus & Levitis; nimirum, non in remotissimis eum locis, quo difficilis nec tutus pateat accessus, non apud gentes, in ultimis terris positas, versari, ad quas obeundas, magnis sit opus itineribus, magnoque commeatu; sed in compitis, in foris, in plateis, sed, quod mirabilius videri debeat, intra me ipsum, sedem ac domicilium suum constitutum habere. & secundum hæc, quam sæpe ea mihi vox in auribus sonat! quam frequenter eisdem inculcatur, *Regnum Dei intra vos est*! videlicet, si te in Christo perquirendo labor & cura torquet, si ejus inveniendi cupiditate incenderis, moneo, hortor, suadeo, præcipio, ne longius abeas, sed ad te ipsum redeas, in animam tuam intres, ad intima ejus cubilia pervadas, ibi eum, nisi inhumaniter antea excluseris, suaviter quiescentem invenies; amplectere, osculare, atque ad ea, quæ ab illo tibi dicentur, avidas ac sitientes aures affer; nam hauries vitæ præcepta & disciplinæ. Sed vix hoc audio, cum consilium meum aspernor, & Christi perquirendi voluntatem abjicio. atque utinam, non illa ipsa de causa desistam, quæ Sacerdotes & Levitas tardiores effecit. Sed, quæso te, mi Hugo, si non nolis, si molestum non est, si alienam ab hoc loco non ducis, paululum hic mecum immorare, atque ad investigandum, quid Iudæos impulerit, de sententia Christi quærendi desistere, operam tuam adjunge. mihi nulla alia hujus rei causa subvenit, nisi, quod suspicati sunt id quod erat; videlicet, Christum, Ioannis oratione, designari, quicum ipsis magna studiorum ac voluntatum dissensio intercedebat, ac de vitiis atque virtutibus multa non conveniebat: at eum malebant effugere quam reperire, odisse quam amare; quid mirum est igitur si finem quærendi fecerint? utinam non nunc etiam

id quoque contingeret. quam multos existimas à Christo quærendo deterreri, quod non ignorent, cum eo sibi rem fore, qui ab ipsis mire dissentiat, qui, præclaras cogitationes in animum immittendo, à vitiis avocet, qui cupiditatibus, quibus ipsi indulgent, vehementer obsistat! & tamen, id quod incredibile videatur, isti ipsi, qui Christum sibi adversum fieri misere metuunt, interdum, ad eundem quærendum, studio inflammato rapiuntur. sed quid causæ existimas esse tam diversæ in illis voluntatis? cupiunt nolunt, quærunt fugiunt, diligunt metuunt. mihi nihil aliud venit in mentem dicere, nisi, magnam vim esse in cupiditate æternæ salutis; consequendæ ejus studium nos eo impellit unde ea dependet, nimirum ad Christum; sed postea, libidinum invitamenta alio detorquent; amor recti sua vi ad sese nos allicit, sed consuetudo peccandi, quo vocamur, abire non sinit. si vitia inter atque virtutes conciliari pax posset, si Deum & cupiditates fœdere amicitiaque copulare fas esset, quam multos Christus, non investigatores solum, sed sui amatores etiam & cultores haberet! sed pugna est inter hæc, atque dissensio, quæ sedari non potest. cogita omnia, quantumvis inter se pugnantia atque contraria; facilius ea coibunt ac coalescent, quam Deus atque peccata. nihil est quod quisquam putet, posse se ea conglutinare atque connectere, quæ non possunt conjungi. nam, quæ conventio est lucis ad tenebras, Dei ad Belial? sed neque id defuit humanæ malitiæ, quæ nihil intentatum reliquit. Deum, Deum (ô audaciam) & flagitia, Deum (ô furorem) & nefaria scelera, vitia atque virtutes, tanquam immane aliquod monstrum, ex diversissimis rebus conflatum, copulare conata est. at, quid homines sceleratos ac perditos rem tam incredibilem conari suasit? duæ res; primum, insita atque adeo innata in animis hominum de Deo notitia, cui non potest obsisti; tum, effusæ in omni intemperantia libidines, quas, qui peccandi dulcedine capitur, cohibere non sustinet. quid ergo? Deos, omnibus humanis cupiditatibus obnoxios obedientesque, cumulata vitiis omnibus antiquitas sibi confinxit. itaque, ut quisque odio ex inimicitiis, aut libidinibus ex amore, flagrabat; ita etiam, intestinis odiis laborantes, aut ob-
scœnis

ſcœnis voluptatibus deditos, deos induxit. ſimiliter, qui cœnarum dulcedine, aut potionum ſuavitate, tanquam piſces hamo, capiebantur, epularum nidore commotos, ac tempeſtivis conviviis addictos ſuperos invenit. ô ſingularem impudentiam! nam, quæ major reperiri audacia poteſt, quam humanam imbecillitatem, rem inaniſſimam, & innumeris pæne caſibus ſubditam, velle Deum ad ſuarum cupiditatum, vel potius miſeriarum, normam exigere! eum, qui ita à Deo ſit factus, ut totus ab eo dependeat, ut, ad ejus nutum, in nihilum redigi poſſit, uſque adeo amentia progredi, ut Deum velit, non imperantem ſibi ſed ſervientem, non libidinibus ſuis repugnantem ſed indulgentem, non ſceleribus reſiſtentem ſed obſequentem, habere; ut, hac tanta hominis impudentia commotus, merito per Davidem exclamet, *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis?* At hæc, inquies, in diis gentium, atque in illa veteri ſuperſtitione valeat oratio, in hac vero religione, atque in noſtris hominibus, quibus jam novos deos commentari non licet, ſuperflua eſt ac non neceſſaria. utinam quidem non etiam hoc tempore uſurpari eadem poſſet, neque in his moribus hic deorum, humanis affectibus præditorum, cultus inveniretur; non quod illis aræ ac templa conſtituantur; nam adverſus ejuſmodi conatus, conſtitutiones Principum, & florentiſſimæ religionis jura, gladio armata, conſurgerent, ſed quod in animis hominum, quæ templa Dei viva appellantur, & in quibus ipſe multo ſe religioſius & ſanctius coli poſtulat quam in iis quæ ſibi excitantur è lapide, divinus eiſdem honos exhibeatur. Etenim, ſi corporis voluptatibus, totis animi viribus, imminere, non eas eſſet divino honore cultuque afficere, profecto non dixiſſet Apoſtolus de iis qui ſe eiſdem turpiſſime emanciparunt, *quorum Deus venter eſt*; neque de iis, quos non ſolum flagitia, verum etiam flagitiorum fama delectat, ſubjeciſſet, *& gloria in confuſione eorum.* à cujus dictis, neque Ariſtotelis neque multorum Philoſophorum inventa aberrarunt, qui, naturam, uſu conſuetudineque peccandi depravatam atque corruptam, finem, ad quem geniti & conformati ſumus, evertere, & quantum in ſe e't extinguere, docuerunt; finem autem eſſe illud ultimum atque perfectum,

ad quod omnia referenda sunt, ipsum autem nusquam; nimirum, honestum, & Deum. itaque, quicunque vitio depravatæ consuetudinis fertur, vel ad honores, vel ad voluptates, vel ad opes & divitias, unamquamque harum rerum, ultimum bonum esse constituit; cetera, quæ consecutioni earum impedimento sunt, aut perpetuo à se abesse vult, aut tolli, si fieri possit, è mundo. sed quid, in hac re explicanda, tam multam operam sumimus? præsto sunt Sacerdotes & Levitæ, de quibus est sermo; qui quavis oratione clarius, suo exemplo, se ita rem habere, declarant. ô rem atrocem! ô execrabiles homines! Deum, Deum inquam ipsum, extra quem non habet mens nostra quidquam tutius quo se ferat, ubi quiescat, ubi consistat tanquam in extremo, qui mortalitatis nostræ caligine, tanquam veste, suscepta, ad eos venerat, &, ne ipsis esset in quæstione, se in medium eorum cœtum immerserat, non modo aspernati sunt, sed insuper, supplicio ac morte affectum, extinguere sunt conati. quam ob causam? quia unicum eorum votum erat, honoribus opibusque pollere; quia à superbia, ambitione, avaritiaque toti possidebantur; quia eas illi cupiditates, numinis cujusdam instar, habebant, eisdemque omnia sua studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem, dederant atque sacraverant. Christi autem oratio ac vita quo nam spectabat? non alio nisi ut has eorum cupiditates infringeret, &, pro elatione, animi demissionem, pro avaritia, divitiarum contemtum, pro ambitione, honorum fugam induceret. simili impietatis genere implicatos eos dixerim, quibus statutum ac deliberatum est, vitiis, quibus se conglutinarunt, hærere. nam iis simul propositum esse videtur, ea omnia odisse atque extincta esse cupere, unde à cursu suarum cupiditatum vel avocentur vel abstrahantur. quid autem tam à peccatis abducit ac revocat, quam Christus Iesus, qui continenter ad aures animi vociferatur, & admonet, ut *abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, piè ac juste vivamus*? sed non modo ille contumeliose à nobis expellitur, sed iterum, ut inquit Apostolus, cruci suffigitur. verum, quos adeo sibi iniquos esse sentit, nihilo minus amore benevolentiaque complectitur; quos à se recessisse longius comperit,

comperit, nihilo tardius suis eos vestigiis sectari contendit. ô amorem mirum & singularem! quid huic unquam simile, mi Hugo, legisti vel auribus accepisti? ecquis est ille amor, qui nec frangatur repulsis, nec expugnetur injuriis? Sed nolim, nos, hac patientia confisos, interea oscitantes opprimi. erit enim tempus, nec fortasse longius abest; volat enim ætas; cum, ea amota, ira succedet, vel furor potius consequetur. ut graviter, à non gravi poëta, dicatur, quod *furor fiat, læsa sæpius patientia.* neque alio nomine, nisi furoris, iram, qua suos adversarios ulciscetur Deus, appellat, *loquar ad eos in furore meo*; & alibi sæpius hoc idem. tum ex illo lenissimo & patientissimo patre, Deus acer ac furoris plenus effectus, longissime à nobis recedet, &, quod formidabile est, extremo tempore, ac dubiis nostris rebus exquisitus, non invenietur. *Quæretis me*, inquit, *& non invenietis; & in peccato vestro moriemini.* atque hunc istorum inutilem, in Christo perquirendo, laborem & studium, David, famelicæ cujuspiam canis, cibi causa omnia urbis loca obeuntis, fore similem, dixit. *Convertentur*, inquit, *ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem*, & peribunt. quæ fames, ex veteris ubertatis memoria, redigetur ad furorem & rabiem; ut recte nos sapiens, in vilitate annonæ, futuram caritatem metuere atque in memoria habere præcipiat. Habes à me, Hugo, satis longam epistolam. sed est quiddam, quod à te summa ope studioque contendam. hic tu fortasse, Vide, inquies, os hominis, qui non satis habet, hunc tam molestum, sua mihi legendi, laborem obtrudere, ut etiam aliquid à me postulare ac poscere audeat. sed continuo tua singularis in omnes caritas, atque ille, quem præ te fers in me amorem, hanc tibi orationem eripiet, atque, ad morem mihi gerendum, prope vim afferet. peto igitur à te, ut mihi à Deo in tuis precibus impetres, ut eum quæram dum inveniri potest, dum prope est, dum adest, dum, ex Io. Baptistæ indicio, in hominum frequentia, atque adeo in me ipso, versatur, inventumque meo illum animo conglutinem, neque inde mea unquam culpa divelli permittam. Vale. Prid. Idus Decembr. CIↃ IↃ C XXXVI.

V. DO-

V.

DOMINICA IV ADVENTVS.

Binæ adhuc à me tibi litteræ debentur, quibus scriptis, summam mei promissi persolvero. sed mihi liceat in his paululum egredi, neque ad solam Euangelii interpretationem, ut omnibus superioribus litteris, alligari. res enim quæ proponitur, multos habet exitus ad digrediendum. tum, sit mihi fas, genere orationis uti florido, picto, expolito, cujusmodi est illud, quod ex sophistarum fontibus defluit. Etenim sermo erit de deserto, ubi *factum est verbum Domini ad Ioannem, Zachariæ filium*. Deserti nomine solitudinem intelligo. hæc commemoratur, hæc effertur, hæc urbibus anteponitur; nec tam, ut camporum viriditatibus, & aquarum prætereuntium sonitu, vel inspirantis ramis arborum sibilo, volucrumque cantibus oblectemur, quam ut meliores efficiamur. quo vitæ genere paucos ex philosophis delectatos esse comperio. cujus rei causam quærenti mihi, illud occurrit, quod omnis eorum virtus spectabat in publicum; qui sine teste probus esse vellet, vix quisquam inveniebatur. neque mihi Stoicos quispiam opponat, quibus omnem felicitatem introrsum fuisse contendat. nam, vacuas ab eis solitudines, contrà refertas eisdem urbes fuisse, ostendam, ubi horridam illam strigosamque sapientiam venditantes, nihil æque horrebant ac secretum. non defuerunt, excellentissimis ingeniis homines, qui, vitæ otium tranquillitatemque secuti, totos se ad cognitionem rerum transtulerunt. inventi sunt etiam, quos ita sapientiæ amor incenderet, ut, ejus consequendæ studio, facultates suas vel desererent vel abjicerent vel inflammarent. at qui, relictis urbibus, antra perquirerent, vix paucos licet ostendere. ô inanis gloriæ cupiditas, quantam vim habes! maluerunt videlicet ii divitiis carere, quàm populi plausu; maluerunt honoribus renunciare, quam vulgi coronæ. quid Cynicus ille, qui, si in agrum secedere vellet, haberet ubi, nemine interpellante, se, quantum vellet, in sole reficeret, millies antea frigore moreretur, quam

quam, quibus oblatraret, amitteret, sapienterque Plato latentem in illis sordibus fastum deprehendit, eo ceteris perniciosiorem, quo clariori virtutis fuco obduceretur. quamobrem tota fere hujus virtutis possessio nostra est, ex eaque veteres vix tenuem sibi partem usurpant. at, si libeat, prope innumerabiles possum ex nostris adducere, qui jejuniis pasti, ciliciis paludati, omnium rerum inopia divites, antra specusque incoluerunt; adeo ut, in sola loca atque deserta, pæne urbium frequentiam induxerint, perfecerintque ut in desertis ipsis deserta quærerentur. Sed meam ad se orationem allicit, atque adeo attrahit hujus instituti dux atque autor Io. Baptista, qui, tanquam expulsis detrusisque de veteri sua possessione feris bestiis, adjudicavit eam hominibus. neque sane erat, quo tutius donum illud afferret, quod acceperat à patre luminum. ibi satis tuto thesauri defodiuntur, quo minime multi conveniunt. loca celebria, obvia, multorum contritæ itineribus viæ, non satis fideliter celant, quod sibi concreditur. unusquisque habet thesaurum suum in vasis fictilibus. id aurum multos inimicos, multos insidiatores habet; ideo occultandum est, defodiendum. Ioannes docet, quo illud tuto deferre possis; nimirum in solitudinem. nam, quovis alio si abstuleris, simul aurum & operam perdes. in quo, sicut in ceteris rebus, mire cum Deo consentit, qui, evocaturus hominem ad colloquium, unde eum abripit, nisi à multitudine? quo abstrahit, nisi in solitudinem? *Ducam eum*, inquit, *in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* vult Deus sua dona largiri, sed non perdere; vult tuto in loco deponere, non autem perperam spargere. loca avia, sola, deserta, statuit esse huic rei apta; culta, celebria, habitata frequenter, tanquam suspecta, periculosa, inutilia, præterit, refugit, damnat. hinc Ioannes, simul ac ingredi potuit, in solitudinem abiit. norat videlicet, se divina gratia onustum pectus gerere; atque ibat, ut hanc aulam, ita prædivitem, in latebris poneret. næ ille pulchram prædam egisset, qui eam abstulisset. id quod minime fas erat; ea enim erant præsidia cælestia, quibus tecta muniebatur, ut ne uno quidem nummo ditiores possent ex ea fures evadere. non hic tu temerariam multorum fiduciam admireris? non stultum illorum

illorum consilium dementissimamque rationem exhorreas, qui ita lucem, ita publicum, ita turbam, ita hominum frequentiam, diligunt? itane? Ioannes, à prædonibus tutus, non audet se urbibus tradere, nihil multitudini credit, sed antra specusque persequitur: illi autem, quos innumeris undique periculis septos se esse non latet, ubi fures obambulant, adsunt, ubi instructi sunt doli, versantur? hinc animus semper illis inquietus atque solicitus. videlicet jacturæ rei omnium pretiosissimæ dolor vel invitos repugnantesque disrumpit, nec ullam partem quietis sinit accipere. Myson, qui dictus est vulgo μισάνθρωπος, effusissimos in solitudine risus edebat, rogatus, quid nam rideret? rideo, inquit, quia solus sum. nimirum effundebat sese, & tanquam extra ripas egrediebatur, intus inclusa, lætitia, à securitate animi orta. nimis ille quidem custodiebat avare thesaurum suum; quem quia possidebat intactum, id serio exultabat ac triumphabat. hujus thesauri partes sunt, iracundiam reprimere, cupiditates tenere, metum compescere: at ne est quidem in solitudine, cui tu irascaris, quid concupiscas, quem pertimescas. quam infeliciter L. Crassus orator optavit, se domumque suam vindicare à solitudine! quanto sapientius contraria huic rei vota fecisset! non enim, ex oratione habita contra Philippum, lateris dolore correptus vel discerptus potius dilaceratusque ab ira, occubuisset. omnis tibi tecum in solitudine res est, homini, prope dixerim probo, quia solo: ut non immerito Cleanthes solitario cuidam, secum loquenti, dixerit, Haud loqueris cum homine malo. & recte; non enim est alendæ improbitati ager idoneus; simul ac ibi eam severis, continuo arescit ac deperit. inter ludorum celebritates, inter epulas, inter ambitiones, inter honores, radices agit & crescit. intellexerat atque adeo expertus erat Augustus, inter honorum culmina, inter amicorum officia, inter civium obsequia, latentes furum insidias: itaque nihil libentius cogitabat quam vacationem à Rep. nihil dulcius commemorabat quam secessum & otium; sed, quod bene cogitabat, male prætermittebat; quod verbis laudabat, minus, re ipsa, præstabat. saturatus honoribus, ad honores revolvebatur; turbæ adulantium infestus, cum adulatoribus erat; deni-

que,

que, eo ipso tenebatur, cujus eum odium & satietas ceperat. neque Marii Cinnæque crudelitas in Antonium sane magno digna est odio; tot enim montes mali, scientem prudentemque hominem, oppresserunt. vix ille locutus erat, tutissimum portum ac bellissimum vitæ perfugium solitudinem esse, cum, à se ipse dissentiens, in medios bellorum civilium fluctus caput illud suum objecit, à quo fuerant multorum civium capita servata. Sed quid ego unum aut alterum nomino, cum pæne innumerabiles liceat hujus culpæ affines invenire? quotus enim quisque est, qui laudet solitudinem, nec sequatur urbes? quotusquisque est, qui clamet felices in agro degentes, nec in hominum sese cœtus immergat? ut jam non sit ferendus, si de cujusquam in se iniquitate queratur. nonne vides, à te esse ortum, ut huic vel calamitati vel infamiæ succumberes? nam facile potuisses hæc omnia effugere, si te audire, si tibi auscultare voluisses. at fuit illud tempus, cum ego una cum aliis desiperem, & summum mihi bonum, à Deo concessum ac traditum, aspernarer, rejicerem, nec habere vellem, & quod, si sana mens fuisset, ingentis beneficii loco mihi esse debuisset, instar mortis videretur. itaque meum ipse otium propalam habebam, ante pedes omnium objiciebam, raptores in prædam vocabam; sed eos magis mihi propitios, quam me ipsum, habebam. quamobrem angebar ac discruciabar animi, quod otium meum intactum remaneret, nec fures nec prædones inveniret. at vide, quatenus stultitia, ac mei ipsius odio, progressus sim. cum fur nemo accederet, ipse fur, ipse prædo mihi ipsius fiebam; ipse meum mihi otium eripiebam. foris nulla vox, nullus tumultus audiebatur, intus personabant omnia strepitu, ac vocibus fori, in quo aliis, me relicto, advocatus fieri meditabar; foris summa pax, summa tranquillitas, intus miscebantur omnia sævientis aulæ fluctibus, in quos cogitabam memet conjicere. felices eos vocabam, quos in medio rerum omnium discrimine versari conspiciebam; meas fortunas lamentabar, ac miseras propterea vocabam, quod miserum me una cum illis esse non liceret. at nunc, mutata voluntate, omnes ad meum otium aditus furibus intercludo, atque eam fortunam, quam ego afflictam putaram,

beatorum istorum opibus antepono. tum, unam tecum, in tui suburbani sole, apricationem, vel unam, in umbra quam proceræ illæ arbores efficiunt, ambulatiunculam, cum eorum ambitionibus, officiis; & adulationibus non confero. Sed redeo, unde discesseram. profecto sic se res habet, ut nusquam tutius, quam in solitudine, animi bona serventur; ut divinitus dictum sit à Christo in Euangelio, simile esse regnum cælorum, thesauro, quem quis acceptum abscondit in agro; simile, inquam, in eo, quod item ut ille, furum manibus eximitur; at in hoc longe præstantius, quod in agro amplificatur & crescit. ô rem miram! quis ita avarus, ita cupidus, postulavit unquam, ut aurum, quod defodisset, factum majus offenderet? satis bene secum actum esse existimavit, si integrum neque defossum invenisset. soli virtutis thesauro contingit, ut, occultatus, multis fiat partibus amplior. nam si virtutem, tanquam tritici granum, defodias, cum quinquagesimo vel cum centesimo recipies; si palam ad ostentationem habeas, sicut triticum in granario, vel à curculionibus corrosam, vel à furibus expilatam amittes, vel sine usura retinebis; quod quantæ fraudi tibi futurum sit, illud ex Euangelio demonstrat, quod acrius animadversum est in eum qui talentum sine fœnore reddidisset, quam in eum cujus patrimonium libidines totum dissipassent. ô egregiam solitudinis laudem! quam magnum est inter ipsam, atque hominum frequentiam, discrimen! in hanc qui se immergit, coinquinatur vitiis; in eam qui secedit, expolitur virtutibus. hic mens humi affligitur, ibi in altum extollitur. sæpe homo in urbe de statu hominis excidit, at in agro dignitatem retinet suam. ibi sæpe bestiis æquatur, hic par similisque fit Angelis. vix, inter homines, hominem quisquam excessit, at sæpe inter feras se ipso factus est major. ut propterea dictum sit, *Sedebit solitarius & tacebit, & elevabit se supra se.* At, per hanc rationem, dicet aliquis, necesse habebunt homines, urbes deserere, sedes suas linquere, atque inter feras ætatem exigere. non id quidem postulatur ab omnibus, ut agrum coëmant, eoque se claudant: at est suburbanum, quod quis sine ullo sumtu habere, eoque etiam in turba perfrui possit; in quod omnes Plato compellit; nimirum intra nosmet

nosmet ipsos, hic, pulsis affectibus pravis, unusquisque secretum sibi potest efficere. atque hæc est solitudo, omnium secretissima. nam, si vere loqui volumus, non tam est loci frequentia, quæ nosmet nobis eripit, quam nostra cupiditas; non tam est hominum numerus qui strepitum facit, quam pravarum cogitationum infinitas. neque ad superioris Africani laudem, sed ad vituperationem, referendum esse arbitror, quòd dixit, nunquam se minus solum esse, quam cum solus esset. videlicet, inutilium cogitationum turba circumventus, tum maxime urgebatur, cum secretissimus erat. modo vaces à cupiditate, ubicunque fueris, cuicunque negotio te dederis, tutus eris; quocunque in loco servaberis, vel voluptuoso vel celebri, in superiora animum mittes. non recedet oratio mea longius, sed hoc ipso Ioanne, de quo loquimur, definietur. quis locus inveniri poterat cumulatior voluptatibus aulâ? quæ regio excogitari potest refertior tumultibus carcere? num, quia Ioannes in Herodis aulam venit, propterea cogitationes suas, à cælo distractas, in illud lutum immersit? aut, quia carceris strepitu obtundebatur, minus erat solus, quam cum hominum conspectu carebat? non tam, secessio ab hominibus, solitudinem facit, quam vacuitas ab inanibus cogitationibus. liber es à cupiditatibus? vel in confertissimo populo solus eris. obsideris ab eisdem? quovis accesseris, magnum tecum comitatum adduxeris. Si igitur, mi Hugo, ad eum thesaurum, quem gerimus, tuendum, tam est utilis solitudo, neque ibi solitudo est, ubi cupiditates obstrepant; Deum roga, ut, iis expulsis, planeque exclusis, secretum in me, tanto thesauro dignum, efficiam. Vale. XVI Kal. Ianuarii CIϽ IϽC XXXVI.

VI.

NATALI D. N. IESV CHRISTI.

HOdie Maria virgo beatissima, temporibus exactis, *peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit; & reclinavit eum in præsepio; & pastores erant in regione eadem vigilantes.* O fastum hominum

atque superbiam, Christi humilitate depressam! ô divitias fallaces & miseras, Christi paupertate damnatas! ô delicias, ô voluptates, Christi præsepio subversas! ô nostrum somnum, ô nostram desidiam, pastorum vigilantia damnatam! Rerum omnium parens ac dominus, ex virgine pauperrima, in itinere, procreatur. cælestium divitiarum thesaurarium, vilibus pannis contectum, in præsepe reponitur. pastores ejus regionis, qui in perpetua gregis sui vigilia manebant, ad tantæ rei spectaculum, è cælo vocantur. quid est, per quod utilius, quam per hæc quatuor, nostra percurrat oratio? videlicet, ut paululum consideremus, quod mundi dominus nascatur in stabulo, quod pannis involvatur, quod in præsepio collocetur, quod ubi pastores vigilias agant oriatur. his enim in nobis inventis, facile colligetur, Christum adesse, hoc est, nobis natalis sui beneficia contribuisse. atqui, si intus in nobis spiritualiter gignitur, non alibi quam in stabulo gignitur. quid? quid est, mi Hugo? num conturbo te? num rem incredibilem loquor, cum dico, nos animum stabulo non dissimilem gerere; videlicet, fimo vitiorum cupiditatumque refertos fœdatósque interius nos esse? quæso, ne expavescas, ne perterrearis. non enim propterea minus eum Christus diliget, vel magis formidabit ac fugiet; immo magis etiam atque etiam appetet, amplectetur, ornabit, & usque ex castissimis virginis matris visceribus clamabit: Fili, præbe mihi cor tuum, ubi nascar, ubi cubem, ubi oculos declinem in somnum. Noli cogitare, quidquam esse, quo ille celerius abeat, ubi libentius habitet, ubi dulcius conquiescat, quam in stabulo cordis nostri. revoca tibi in memoriam, quod in Sapientia Salomonis, totus amore diffluens, ait. nonne, cum gloriantem illum audis, *delicias suas*, non in illis felicissimis cæli sedibus, non cum beatissimis illis mentibus, ab omni concretione mortali sejunctis, sed *cum filiis hominum*, sed tecum, *esse*, nonne, inquam, continuo animam tuam sentis, igne amoris percitam, à te discessionem facere, & ad Christum transire, seque totam cum illo conglutinare? at est cor nostrum sordidum, tenebrosum, frigidum. quid possumus cordi nostro felicius optare, quam ut expurgetur, calefiat, illustretur, ornetur?

præsto

præsto est, adest, operam dat, qui potest facere de tenebris lucem, de glacie ignem, de stabulo cælum. unum à te, ô homo, deposcitur, unum exigitur, ut volenti introire, omnes ad te aditus apertos atque patentes exhibeas, cetera quiescas. at, si cor illi tuum præcluseris, ac feris potius bestiis aperueris, jam tua culpa erit, si illud numquam sordes suas exuerit, si semper luce caruerit, si bestiarum cubile permanserit. sed, audebisne Domino ac Deo tuo tam insignem contumeliam imponere, ut poscenti à te hospitium, cordis tui aditum intercludas? sustinebisne tantam crudelitatis notam subire, ut exclusus ille, nec tecto à te receptus, jure queri possit, ac dicere, *Aves cæli nidos habent, filius hominis non habet ubi caput reclinet?* ah, ne obsecro te talis immanitas, vel potius furor, invadat. Age, porro inspiciamus tempus, quo tempore in nobis Christus oriatur. non aliud occurrit, nisi illud, quo parens illum sua produxit; videlicet cum domo abesset, quum laboribus defatigaretur, quum itineribus operam daret. hoc est tempus ad generandum in nobis Christum, aptissimum. nemo speret, suum in animum Christum esse venturum, qui quieti se tradidit, qui hîc hærere constituit, qui in hujus seculi bonis tabernaculum vitæ collocavit. si tanto bono frui sit in animo, exeundum mihi ex hac domo est, labor subeundus, iter arripiendum, in cælestem patriam properandum, ad ejus civium numerum adscribi curandum; *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli, in suam civitatem.* at, si quis procul à suis cupiditatibus ne vestigium quidem faciat, si peregrinari ab eisdem non audeat, si perpetuo in illis versari ac manere constituat, tum, quidquid inciderit in animum, cupiat; concipiet ille quidem intra se aliquid, nimirum lethalem veritæ cujuspiam rei cupiditatem; quæ cupiditas, mente animoque concepta, matura in fœtus erumpet. nam *concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* ô fœtum miserum! ô fœcunditatem calamitosam! quam dissimilis est hic partus illi superiori! ille parit Christum, hic peccatum; ille exhibet salutem, hic pestem; ille vitam affert, hic mortem. proinde, si quis bonis cogitationibus, sibi à Deo immissis, se Christum concepisse satis

probabiliter credat, caveat, ne tam egregium sibi partum prava aliqua cogitatione abigat, sed, custodiendi ejus causa, domo egrediatur; videlicet ab his bonis fragilibus & caducis animum avocet, & ad æterna illa ac firmissima dirigat; imitetur hanc ipsam Mariam virginem; quæ, simul ut, se Deo plenam esse, Angelico percepit eloquio, *abiit in montana cum festinatione*, postremo, ad pariendum vicina, se Bethlehem contulit, unde trahebat paternam generis originem, ut Cæsaris Augusti imperio præsto esset; qui caverat edicto, ut singuli in suas civitates, census habendi gratia, confluerent. Quæris, quænam sint ista loca montana, ad quæ nitendum sit? loca montana, eaque difficili atque arduo ascensu, sunt illæ cælestes Hierosolymæ, quarum *fundamenta*, ut regius cecinit vates, sita sunt *in montibus altis*. postulas, quæ nam sit ista Bethlehem, ista domus panis, quo properandum sit anni tam adverso tempore? hæc est illa Regis æterni aula, ubi eo, qui hodie de cælo descendit, pane, beatæ illæ mentes aluntur, quove non nisi per hujus vitæ pericula atque labores aditur. Hactenus, invenimus locum, ac tectum, ubi commode Christus, in hanc lucem veniens, excipiatur: insuper tempus eidem, ad nascendum, maturum ostendimus: superest, ut, quæ jam nato opus sunt, suppeditemus. qui recens natus est, indiget linteolis quibus involvatur, eget fasciis quibus obligetur. venti sæviunt; domus est putris, ruinosa, aperta; nix maxima; tempestas perfrigida: quis tam durus, quis tam ab omni humanitate alienus, sustineat, puerum, tam delicatum, tam nobilem, tam tenerum, inopem, nudum, ventis tempestatibusque sævientibus ludibrium fieri? profecto, feritate atque sævitia, ipsas etiam feras anteeat. quamobrem adeunda est Virgo, ab eaque petendum, quam nam ipsa, in re tam necessaria, rationem inierit; &, quod nobis dederit de hac re consilium, id exsequamur. quæ dicet nobis, quod, simul ac *peperit filium suum primogenitum*, statim *pannis involvit, & reclinavit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio.* sunt panni vilia quædam involucra & integumenta; unde, non sunt nobis faciendi sumtus in purpura, aut in vestibus, conchylio tinctis, coëmendis. hunc à suo corpore ornatum repellit ac rejicit ille, qui

factus

factus est pro nobis egenus, cum esset dives; longe à nobis viliora perquirit. quære, investiga, inveni, quæcunque vulgi æstimatione & judicio negliguntur & jacent; iis opus est Christo. ea autem sunt, humilitas, patientia, contemtus laudis, honoris, ac divitiarum. hæc tute tibi collige, atque ad tegendum Dominum adhibe. quam suaviter his stragulis fovetur! quam dulciter his fasciis adstringitur! vide igitur, quam multis rebus non indigeat, quam paucis ac vilibus sit contentus. quod si magna, si difficilia, si, quæ magno constarent, imperarentur, nulla essent pericula, nulli labores, nulli sumtus recusandi. nam, si, quod in bono hospite sumitur, quæstus est, non sumtus; quod quis ad Deum hospitio recipiendum impenderet, sibi damno, non lucro futurum existimaret: cum autem ea postulet, quæ pretium non habent, quæ emtorem fere non inveniunt, quid afferam, quamobrem illi, tam extremo tempore, non subveniam? ô si tantam meis ex oculis vim lacrimarum effunderem, quæ esset Christo lavando satis! quantum eidem gaudium objicerem! quam jucundam operam navarem! id, prope dixerim, fore illi gratius, quam reliqua in se omnia piæ matris officia. etenim, non ad sanos, sed ad male se habentes, non ad justos, sed ad peccatores, se de cælo demisit; atque usque adeo lacrimarum peccatoris est sitiens, ut unam ejus lacrimulam, ex penitissimo corde profectam, vel ipso sui sanguinis flumine compararet. verum, ea est humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei, ut, qui rem ipsam non potest, si saltem ipsi voluntatem emetiatur, amplius non desideret. sed omnino illud enitendum est, ut regionem cordis nostri, id quod ultimo dicendi loco posuimus, eisdem vigiliis custodiisque munitam inveniat, quibus agrum Bethlehemensem invenit; ubi pastores fuisse narrantur, *custodientes vigilias noctis, super gregem suum.* ô felicem illum animum, dignumque in quo Christus nascatur, ubi ejusmodi vigiliæ intentiore cura servantur, ubi perturbationum greges intra rationis cancellos continentur, ne qua erumpant, ubi perpetuo cavetur, ne lupi vel fures accedant, qui claustra perfringant, gregem invadant, furentur ac perdant. vis scire, quantum, ejusmodi nocturnis vigiliis, cælestis gratiæ

 favor

favor accesserit? animadverte, quod Angelis, Domino nato, nihil visum est longius, quam dum pastoribus, in proximo vigilantibus, sese visendos ostenderent, novæ & inusitatæ lucis splendorem objicerent, cæleste carmen concinerent, Salvatorem mundi natum esse nunciarent, notas & signa locorum, quibus nullo negotio inveniretur, ostenderent. non deerant in oppido Bethlehem homines locupletes & nobiles, ad quos potius adeundum videretur; prope aberat, ab eodem oppido, Ierusalem, urbs locupletissima & maxima, ubi Rex, Sacerdotes, Pontifices, ac plures rerum divinarum interpretes, versabantur; nonne istos æquius fuerat, priores ceteris, tanti nuncii participes fieri? verum hi omnes habiti sunt indigni, ad quos Angeli allegarentur. nam fere omnes, suis in lectulis, molliter cubabant, aut genio indulgebant, aut vino somnove operam dabant, gregesque suorum affectuum effusos in omni intemperantia habebant. deinde longe alia ratio est rerum humanarum, ac divinarum. nam, quæ homines gessere, ad Reges primo, atque ad potentiorum civium tecta contendunt, tum inde in hominum humilium cœtus emanant: at vero maxima & admirabilia Dei omnipotentis opera, pauperum primum atque humilium aures attingunt, tum divitum ac superborum animos feriunt: sed diversos, in utrisque, animorum motus exsuscitant; nam pauperes & humiles gaudio lætitiaque perfundunt, divites & superbos terrore metuque concutiunt. audiet quidem de Christi nativitate Herodes, sed multum ex ea re timoris exhauriet ipse, & omnis Hierosolyma cum illo: audiunt pastores, ac lætitia, quantam maximam animo capere possunt, afficiuntur; &, quamvis, ab initio, novo inusitatæ lucis splendore perstricti, pallescant, ad extremum, ab Angelis edocti, exhilarantur, & revertuntur, *glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant.* O Christiane, (mecum ipse ago,) vis optatissimi nuncii compos fieri? vis, tibi gaudium ex eo, non luctum, innasci? vigilias age; in perpetua tui ipsius custodia mane; non ad superborum cupidorumque numerum, sed ad pauperum spiritu & pusillorum gregem, tuum nomen adscribe. neque satis officio hactenus feceris, nisi insuper operam dederis, ut pastorum diligen-

tiæ

tiæ par similisque efficiaris; qui, de Christi nativitate admoniti, non cœperunt, ut fit, ex negligentia quærendi, tempus trahere, moras nectere, diem ex die ducere, sed, consilio advocato, dixerunt, *Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* tam probis, tam diligentibus pastoribus, mi Hugo, comites nos addamus; usque Bethlehem transeamus, &, quod in nobis conceptum esse percipimus, mentis nostræ oculis diligentissime intueamur. sed nihil opus est mora atque segnitie; sed celeritas at diligentia requiritur. nam futurum est, ut Herodes quærat animam pueri, ad perdendum eum; hoc est, ut perpetuus humani generis hostis id, quod in nobis natum est, conetur exstinguere. quamobrem tollat unusquisque puerum, intra viscera sua condat, foveat, tantisper suis vigiliis muniat, quoad ipsi, hujus ærumnosæ vitæ miseriis perfuncto, æternæ felicitatis præmia contingant, nec ullus posthac ejus amittendi metus insideat. Hæc sunt, mi Hugo, quæ hoc tempore Adventus, & Natalis Domini, mihi venerunt in mentem; quorum, ut inter nos convenit, volui te participem facere. sed quanto tute meliora invenisti? quæso, ut aliquid mihi eorum, si non litteris, (scio enim occupationes tuas,) saltem voce, impertias. Hæc me, qualiacunque ea sint, scripsisse non pœnitet. nam servavi in eo, quod promiseram, fidem. Vale. XIII Kal. Januarii CIϽ IϽC XXXVI.

VII.

APparuit humanitas & benignitas Salvatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. In hoc sacrosancto Christi Domini Salvatoris nostri natali, duo in primis se mire declarasse, inquit Paulus Apostolus; primum, summam ac singularem Dei in nos benignitatem; *Apparuit benignitas Salvatoris nostri*; tum, admirabilem ejusdem in nos *misericordiam*, qua *salvos nos fecit.* itaque, hunc eundem ordinem sequutus, pauca quædam, primum de Dei benignitate, tum de ejusdem misericordia, breviter ac strictim attingam.

Atque, ut à benignitate ordiar, quatuor in rebus, Dei in nos benignitas, illustrioribus quam antea unquam radiis, illuxit. primum in eo, quod se nostra causa hominem fecerit, hoc est, ut ad illud humani generis postulatum descenderit, quo nullum ne excogitari quidem poterat, neque audacius, neque arrogantius, neque impudentius. quale autem erat hoc postulatum? istud nimirum: *Quis mihi det, ut videam te fratrem meum sugentem ubera matris meæ?* Duo, hac oratione, postulabat; videlicet, ut Deum, fraternitatis vinculo sibi devinctum, hoc est, in humano corpore, intueretur; tum, ut eundem, infirmum, egentem, fasciis alligatum, ac matris uberibus inhiantem, aspiceret. poteratne arrogantia impudentiaque progredi longius? atqui hujus impudentissimi postulati insolentiam duo in primis augent, ac supplicio dignam efficiunt. primum, temporis importunitas; nam, quo tempore illud editur? alienissimo; cum nimirum Deus, summe sceleribus nostris infensus, flagellum haberet in manibus, quo de nobis, tanquam de servis nequissimis, supplicium sumeret; cum nos, servorum & ancillarum in morem, supplices, demissi, flentes, ut David inquit, in Dei manibus oculos defixos haberemus, expectantes, dum nostri misereretur. deinde, hujus postulati impudentia, ex hominum malitia & improbitate quæ tum maxime vigebat, quanta sit, patet. ô impudentiam prædicandam! tum maxime humanum genus, in beneficii & gratiæ loco, Deum sibi dari deposcit, cum maxime omnibus eum injuriis ac contumeliis onerat, cum jam iniquitas hominum eo esset prolapsa, ut non esset quo progredi posset, cum, ut Isaias ait, *completa esset malitia hominis*, hoc est, malignitati, tanquam fastigium impositum. nihilo minus tamen genus humanum usum est Dei filio, ita facili, ita benigno, ita propitio, ut ipsi in votis ac postulatis occurrerit, seque in Virginis uterum conjiciens, humanam ibi naturam inexplicabili sibi nexu conjunxerit, ac demum, exactis ad pariendum mensibus, in lucem egrediens, uberibus matris, os, infans admoverit. ô factum bene! nam, similis nobis effectus, continuo arma è manibus patris extorsit, atque adeo eundem nobis æquum, mitem, ac placidum reddidit, ut omnem de

nobis,

nobis, tanquam de servis contumacibus, trucis domini acrimoniam ac severitatem ejecerit, ac patris lenissimi amantissimique suavitatem caritatemque susceperit. nec jam ferocem, sicut antea, agit; neque nos, terrore mortis atque minarum, ad sua jussa persequenda, compellit, (non enim leviter minabatur, sed clamabat, *Qui fecerit hoc, vel hoc, morte moriatur*,) verum pacem propitius apportat, timorem radicitus extrahit, ejusque loco spiritum amoris inserit, filiis, patri obsequentissimis, dignum; ut jure Paulus Apostolus hoc tam singulare beneficium ac tantum, in animis omnium defigere conetur, his verbis: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater.* quamobrem, vir Christianus, jure optimo, nunc potest illud usurpare, quod olim de eo vaticinatus est Iobus, *Loquar, & non timebo eum*; hoc est, nunc rem meam, cum Deo, ab omni metu vacuus, agam; quod perfecti vis amoris foras ejicit timorem.

Alterum, in quo Dei benignitas se large nobis exhibuit, illud est, quod suam nobis autoritatem, qua plurimum apud Patrem pollet, communicavit. vix dici potest, quantum pater autoritate filii commoveatur; solo sæpe ejus aspectu, à severitate ad mansuetudinem, à tristitia ad hilaritatem, ab iracundia ad lenitatem placabilitatemque traducitur. sed, cum hac conditione in hujus nos tanti boni societatem admittit, si iis artibus, ad placandum Patrem, utamur, in quibus ille excelluit. hæ autem sunt, pietatis opera, quæ ipse fecit & docuit. nam, unde (Gregorius inquit) reum recta docuit, inde iratum judicem placavit. quod si quis, in hac re, Christi dissimilis inveniatur, in hujus muneris partem non veniet. verum, si sit aliquis, qui ad intimam hujus autoritatis rationem penetrare contendat, Deum ipsum ducem adhibeat, quo nemo unquam, nec dilucidius nec apertius nec brevius, quænam sit vis hujus autoritatis, ostendit. nam apud Isaiam, cum sigillatim unum quodque eorum perstrinxisset quæ à nobis exiguntur, ejus laboris tanquam mercedem subjiciens, *Venite*, inquit, *& arguite me.* arguere, ex Gregorii interpretatione, ita magna res est, ut uno verbo exprimi non possit. nam arguere, est (hoc

 autore)

autore) ei, quem arguimus, autoritatis ratione contra ire. ut, si quispiam contra voluntatem nostram aliquid moliatur vel cogitet, eum autoritate imperioque cohibeamus, & incepto desistere cogamus. ne multa; hæc est Dei sententia: Filii mei præceptis, quibus primum ipse paruit, obtemperate; tum, quoties me, vel iracundia effervescentem, vel arma corripientem, conspicietis, jam mihi non preces, non lacrimas, non gemitus, non luctus objicite, sed autoritatem, qua præstabitis, opponite, sive potius pro imperio ac potestate præcipite, ut iram ut arma deponam. nam continuo, nulla erit in me mora, quin, autoritate vestra commotus, utrumque projiciam.

Tertio Salvator noster, benignitatis suæ fontem in eo nobis aperuit, quod, nascens, plura attulit iis, quæ peccati vulnus ademit. constat inter omnes sacrarum litterarum interpretes, in Elisæo, puerum viduæ ad vitam revocante, totam fere justificationis nostræ rationem, rebus ab eo gestis, tanquam coloribus, exprimi. ac primo, misisse puerum traditur, eo cum baculo, cui niti solitus erat, ut eo, tanquam instrumento, ad mortuum excitandum uteretur. quod cum illi servus, ex domini jussu, applicuisset, nec potuisset animam reddere, venisse idemmet Elisæus dicitur, ac, remotis arbitris, clausoque cubiculi ostio, sese ad exiguam jacentis mensuram redegisse, ita ut neque illo minor neque major existeret; tum, supra demortui ejusdem corpus incubuisse, adeo ut cum pueri membris sua etiam membra componeret, atque os ori, manus manibus, pedes pedibus, pectus pectori redderet; quo facto, oscitasse puerum septies, ac statim deinde ad obeunda vitæ munia rediisse. ad eundem fere modum Deus, nostri generis misericordia captus, misit primo servum atque administrum suum, cum virga, hoc est, Moysen cum lege; sed, cum nihil nobis in lege esset opis ad vitam atque salutem, quia, ut inquit Apostolus, nihil ad perfectum adduxit lex, cumque humanum genus magnis illud clamoribus diceret, *Auferat à me virgam suam*, demum ipse induxit animum venire; atque, Angelis, quos creaverat, minor effectus, ad exiguam humanæ mensuræ rationem se contraxit; ut propterea à Propheta *Verbum abbreviatum* appelletur. ne multis morer; homini, spirituali

rituali vita functo, in quem incubuerat, oscitationes septem, septem nimirum Spiritus sancti dona, contribuit. ergo, quem virga suscitare non potuit, per spiritum amoris puer in vitam rediit. Hactenus, umbræ veritas, imagini quod per eam exprimitur, propemodum ex æquo respondet. verum Elisæus nihil plane puero illi, quem ab inferis excitaverat, addidit, quo antea caruisset: at Deus, liberalitate beneficentiaque nobiscum progressus est longius. nam, ex eo, quod, nostra causa, se minorem Angelis reddidisset, ut nos honore pares illis essemus effecit. quid causæ arbitramur esse, cur antea, quam Deus naturam hominis indueret, Angeli se ab hominibus coli adorarique permiserint, postea hunc ab illis honorem oblatum funditus repudiarint? non aliud, opinor, nisi, quia antea jure se hominibus anteponebant, immo jure eos contemnebant. nam, quid aliud erat homo, nisi impurum quoddam animal ac tetrum, vitiis sceleribusque refertum? at, postquam Christus, Dei filius, factus homo, suo sanguine, peccatorum nostrorum maculas eluit, quonam jure poterant eam naturam præ se contemnere, quam, in suo ipsorum conditore ac Domino, cernebant evectam sup omnem principatum & potestatem? quomodo ejus corporis membra ludibrio habere, in quibus capitis locum Christus obtineat, cui divinum honorem cultumque habent necesse tribuere? quid mirum est igitur, si, cum Io. Euangelista ad unius Angeli pedes supplex accidisset, non tulerit ille, sed clamore sublato dixerit, *Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum*; cum non ignoraret, imperium illud, quod in homines olim habuisset, fuisse Christi nativitate sublatum? quid mirum, si hodie multitudo militiæ cælestis, omni fastu deposito, se pastoribus ultro immisceat, honorem habeat, blandiatur, hymnis & canticis pacem & salutem annunciet, cum ex cognatione, qua homo annexus est Deo, nemo Angelus non sibi honestum & gloriosum existimet, posse cum eo societatem amicitiamque inire? dictum est sapienter ab Apostolo, *quod stultum est Dei, sapientius esse hominibus, quodque infirmum est Dei, fortius esse hominibus.* sed non video, cur non ad Angelos quoque istud extenderit, quod sine ullo scrupulo facere potuisset.

etenim

etenim hæc Christi hominis stultitia, hæc Christi infantis imbecillitas, Angelorum etiam sapientiam ac fortitudinem evertit ac dejicit.

Postremo, spectata est etiam Dei in nos benignitas, in multis aliis beneficiis, quæ ab ejus nativitate manarunt. *Puer*, inquit Isaias, *natus est nobis*, hoc est, ad nostram utilitatem. at quatuor utilitates, ab hoc fonte decurrunt; ex quatuor nimirum bonis, quæ non possunt esse ab infante sejuncta. ac primum, summa in infante puritas inest. quæ puritas duplici nos beneficio affecit. nam, & purgationem peccatorum fecit, hoc est, sentinam animæ nostræ, plenam sordium, exhausit, & ab eadem pulverem peccatorum excussit; ut jam, si per nos liceat, speculo clarior eniteat. atque apte ad hunc pulverem, quem diximus, verba illa Augustini interpretor, quibus ideo felices eos pannos appellat qui Christi corpus contexerunt in præsepio, quod, ab eis, peccatorum nostrorum depulsæ sint sordes. Felices, inquit, panni, quibus peccatorum nostrorum extersæ sunt sordes. at vilibus ac laceris pannis, non aliud fere quidquam, à parietibus, à laquearibus, à scamnis, nisi pulvis, ejicitur: pulverem autem istum, animæ obductum hærentemque, esse ait rerum secundarum amorem, adversarum odium, gloriæ studium, ignominiæ fugam. uno verbo, omnes rerum mortalium fluxarumque cupiditates, pulveris nomine contineri Magnus Gregorius affirmat. at, quo artificio, vilibus suis pannis, Christus pristinum animæ nostræ nitorem revocavit? adversa appetendo, prospera contemnendo, opprobria amplectendo, gloriam evitando. deinde, nihil est in infantis animo sublime, nihil tumidum, nihil elatum, sed contra, summa demissio atque humilitas. si nobis est cordi, summum & inexplicabile humilitatis exemplum oculis accipere, non abeamus longius, in stabulum Bethlehemense paululum oculos conjiciamus; ibi licebit videre, majestatem divinam, fasciis devinctam, in præsepio jacentem, in tam perfrigida tempestate aliquam caloris opem à duorum animalium ore spirituque poscentem, &, quod caput est, nos, suo exemplo, ad humilitatis amorem studiumque provocantem. jam quis erit posthac tam impudens, quantumvis opibus, honoribus,

bus, divitiis excellat, qui animos audeat attollere, qui se insolentius efferat, qui ceteros præ sese contemnat? intolerabilis impudentiæ est, Bernardus exclamat, ubi se exinanivit majestas, ibi inflari vermiculum. Tertio, amabilitas quædam in ore infantis elucet. quem enim ejus festivitas, forma, suavitas, non in sui amorem impellat? duo sunt in Christo lactente, quæ lapides silices possint, ut se ament, adigere; primum, oris lepor ac forma; quippe qui *speciosus forma præ filiis hominum* esse perhibetur; tum, admirabilis ille divinitatis cum humanitate nexus atque conjunctio. plenum prorsus omni dulcedine, idem Bernardus exclamat, videre hominem, hominis conditorem. tantam profecto in se suavitatem ea res continet, ut jam, non corda hominum tantum, dulcedine ac suavitate redundent, sed ipsimet colles, ut olim veteres Prophetæ vaticinati sunt, vim dulcedinis quandam effundant, &, quod mirabilius videri debeat, cælum ipsum, ut canit Ecclesia, in mel conversum, dilabi ac diffluere videatur. Postremo, in illa tenerrima infantis ætatula, non obstinatus ad iracundiam, sed flexibilis ad placabilitatem, animus residet: nam, si luget, irascitur, odit; parva sæpe re, puta, vel flore vel malo, ad hilaritatem, mansuetudinem, amoremque traducitur. ô vos, quibus intercedunt cum Deo iræ inimicitiæque, nunc tempus ad eum placandum conciliandumque, dum infans est, datur. accedite, festinate; nolite pati, tam pulcram vobis occasionem è manibus eripi. non multis neque magnis opus est rebus; una lacrimula, una doloris animi significatio, unum suspirium, ab intimis cordis penetralibus ductum, rem totam vobis conficiet.

Atque hæc de Benignitate Salvatoris nostri Dei. nunc ad reliquam propositæ divisionis partem revertamur, ac pauca quædam, de ejusdem Dei Misericordia breviter ac dilucide proponamus. quæ misericordia non est eadem res ac benignitas, sed, quatuor præsertim in rebus, ab ea separatur atque secernitur. primum, cum se benignitas diffundit in aliquem, si quid offendit quod ipsam impediat, non continuo illud removet; at misericordia, cuncta, quæ se objiciunt, dispellit ac rejicit, ac divinæ in nos benignitati aditum aperit. duo obstabant, quo minus divinæ

ſtrum theſauros miſericordiæ ſuæ, cuivis apertos objicere, debemus intelligere, eundem ſe, ad remittenda peccata propenſum, oſtendere. nam miſericordia eſt, inquit Auguſtinus, ut peccata dimittantur. & interpres ad eum locum epiſtolæ Pauli ad Hebræos, *ut miſericordiam conſequamur in auxilio opportuno*, miſericordiam inquit, remiſſionem videlicet peccatorum; nam tantundem valet.

Satis igitur ex iis, quæ dicta ſunt, conſtat, in hoc admirabili Dei Salvatoris noſtri natali, duo iſta ſe præ ceteris nobis aperuiſſe; nimirùm ſingularem ejus benignitatem, divinamque miſericordiam.

VIII.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

SAtis jam de eo, quod dixeram, fidem ſervaveram, ſatis officio meo feceram; quamobrem cogitabam quieſcere, neque tibi, moleſtiſſimis meis litteris, negotium creare. ſed dejecerunt me de ſententia verba Simeonis apud Lucam, quæ hoc Dominico die in Eccleſia leguntur, plena admirationis, plena doloris, plena utilitatis: *Ecce poſitus eſt hic*, videlicet Chriſtus, *in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël; & in ſignum, cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ecquando ſua homini ſalus & vita diſplicuit? ecquando ſua eidem utilitas & gloria odio fuit? ſi Chriſtus, cui tantopere contradicitur, in hanc brevem & miſeram vitam deſcendens, inimicitias palàm hominibus denunciaſſet, ſi ſigillatim unicuique exitium ac peſtem attuliſſet, ſi univerſum mortalium genus ſe funditus everſurum interminatus eſſet, aliqua fortaſſe hominibus cauſa objiceretur, quamobrem eum odiſſent, quamobrem extinctum eum eſſe cuperent: verum, adeo nulla eiſdem odia, nulla bella, indixit, ut etiam ultro amicitiam fœduſque expetitum advenerit. quid enim divina ſanctorum Vatum oracula, Chriſti Domini ætate, tam promittebant, quàm eam vim pacis, quæ, tanquam extra ripas diffluens amnis, totum terrarum

rarum orbem inundaret? quid, eo nato, Angelorum voces orarunt, nisi, Deo gloriam & hominibus pacem? quid ipse, tum vitæ humilitate, quæ nihil hostile minabatur, tum orationis suavitate, quæ semper ad pacem revolvebatur, tam præ se ferebat, quàm benevolentiam & pacem? at illi, tanquam si ad ipsos oppugnandos, vel potius extinguendos, accessisset, omnes contra eum furoris sui copias eduxerunt. quid igitur accidit? id, quod necesse erat; videlicet, ut ii, qui sunt ausi hoc facere, pace repudiata bellum invenirent, amore contemto odium incurrerent, vita neglecta mortem adipiscerentur. ut propterea Simeon, divino afflatus spiritu, multis audientibus dixerit, puerum, quem gestaret in manibus, iis, qui recepissent, saluti, iis, qui repudiassent, exitio futurum. *positus est hic*, inquit, *in ruinam & resurrectionem multorum.* ô cœcas hominum mentes, qui vitæ anteponunt interitum, amori odium! ô stulta eorum consilia, qui, qualis Christus sit inimicus, aut quid possit potius quam amicus, periculum facere decreverunt. sed video, quæ nobis hostilem metum objiciant. hæc sunt ea fere omnia, quæ vix ab humana conditione possunt esse sejuncta; videlicet, damna, dolores, ægritudines, dedecora, mortes: quia sæpe cum ejusmodi rebus, quæ ab hominibus numerantur in malis, ad nos venit, propterea inimico eum animo venire existimamus. sed fallimur; non sunt hæc instrumenta belli, sed adjumenta pacis; non sunt hæc arma pugnantis, sed remedia medentis. non potest aliter obtineri ea pax, quæ exsuperat omnem sensum: non potest interdum aliter longis peccati morbis obsisti, nisi huic liberi subtrahantur, illi opes eripiantur, hic exilio multetur, ille ærumna afficiatur, aut aliquo alio ejusmodi damno cumuletur. itaque, ut medicus fortis & experiens, illa adhibet remedia, quæ sunt illi morbo, quicum quisque conflictatur, idonea. Æger, cum medicum ad se cum igne vel ferro venientem intuetur, si nihil aliud cogitet, eum vehementer oderit, insectetur, male verbis accipiat: at, si curationis utilitatem, si spem salutis, propositam habeat, gaudeat, medico delectetur, mercedem ac præmium attribuat. ita etiam, cum te damno affectum intelligis, non inimici, bellum inferentis, minas accipere,

strum thesauros misericordiæ suæ, cuivis apertos objicere, debemus intelligere, eundem se ad remittenda peccata propensum, ostendere. nam misericordia est, inquit Augustinus, ut peccata dimittantur. & interpres ad eum locum epistolæ Pauli ad Hebræos, *ut misericordiam consequamur in auxilio opportuno*, misericordiam inquit, remissionem videlicet peccatorum; nam tantundem valet.

Satis igitur ex iis, quæ dicta sunt, constat, in hoc admirabili Dei Salvatoris nostri natali, duo ista se præ ceteris nobis aperuisse; nimirùm singularem ejus benignitatem, divinamque misericordiam.

VIII.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

SAtis jam de eo, quod dixeram, fidem servaveram, satis officio meo feceram; quamobrem cogitabam quiescere, neque tibi, molestissimis meis litteris, negotium creare. sed dejecerunt me de sententia verba Simeonis apud Lucam, quæ hoc Dominico die in Ecclesia leguntur, plena admirationis, plena doloris, plena utilitatis: *Ecce positus est hic*, videlicet Christus, *in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël; & in signum, cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Ecquando sua homini salus & vita displicuit? ecquando sua eidem utilitas & gloria odio fuit? si Christus, cui tantopere contradicitur, in hanc brevem & miseram vitam descendens, inimicitias palàm hominibus denunciasset, si sigillatim unicuique exitium ac pestem attulisset, si universum mortalium genus se funditus eversurum interminatus esset, aliqua fortasse hominibus causa objiceretur, quamobrem eum odissent, quamobrem extinctum eum esse cuperent: verum, adeo nulla eisdem odia, nulla bella, indixit, ut etiam ultro amicitiam fœdusque expetitum advenerit. quid enim divina sanctorum Vatum oracula, Christi Domini ætate, tam promittebant, quàm eam vim pacis, quæ, tanquam extra ripas diffluens amnis, totum terrarum

rarum orbem inundaret? quid, eo nato, Angelorum voces orarunt, nisi, Deo gloriam & hominibus pacem? quid ipse, tum vitæ humilitate, quæ nihil hostile minabatur, tum orationis suavitate, quæ semper ad pacem revolvebatur, tam præ se ferebat, quàm benevolentiam & pacem? at illi, tanquam si ad ipsos oppugnandos, vel potius extinguendos, accessisset, omnes contra eum furoris sui copias eduxerunt. quid igitur accidit? id, quod necesse erat; videlicet, ut ii, qui sunt ausi hoc facere, pace repudiata bellum invenirent, amore contemto odium incurrerent, vita neglecta mortem adipiscerentur. ut propterea Simeon, divino afflatus spiritu, multis audientibus dixerit, puerum, quem gestaret in manibus, iis, qui recepissent, saluti, iis, qui repudiassent, exitio futurum. *positus est hic*, inquit, *in ruinam & resurrectionem multorum.* ô cœcas hominum mentes, qui vitæ anteponunt interitum, amori odium! ô stulta eorum consilia, qui, qualis Christus sit inimicus, aut quid possit potius quam amicus, periculum facere decreverunt. sed video, quæ nobis hostilem metum objiciant. hæc sunt ea fere omnia, quæ vix ab humana conditione possunt esse sejuncta; videlicet, damna, dolores, ægritudines, dedecora, mortes: quia sæpe cum ejusmodi rebus, quæ ab hominibus numerantur in malis, ad nos venit, propterea inimico eum animo venire existimamus. sed fallimur; non sunt hæc instrumenta belli, sed adjumenta pacis; non sunt hæc arma pugnantis, sed remedia medentis. non potest aliter obtineri ea pax, quæ exsuperat omnem sensum: non potest interdum aliter longis peccati morbis obsisti, nisi huic liberi subtrahantur, illi opes eripiantur, hic exilio multetur, ille ærumna afficiatur, aut aliquo alio ejusmodi damno cumuletur. itaque, ut medicus fortis & experiens, illa adhibet remedia, quæ sunt illi morbo, quicum quisque conflictatur, idonea. Æger, cum medicum ad se cum igne vel ferro venientem intuetur, si nihil aliud cogitet, eum vehementer oderit, insectetur, male verbis accipiat: at, si curationis utilitatem, si spem salutis, propositam habeat, gaudeat, medico delectetur, mercedem ac præmium attribuat. ita etiam, cum te damno affectum intelligis, non inimici, bellum inferentis, minas accipere,

ſed amici, pacem & amicitiam largientis, vocem audire te cogita. cum, doloribus corporis pervelli te acriter, ſentis, non iniquiſſimi cujuſpiam telum, ſed medici amantiſſimi manum agnoſce; tum omnia tibi ſeſe plena concordiæ, plena ſalutis, plena utilitatis, oſtendent; tum palam exſtabit, nihil tibi à Chriſto prodire, quod dignum ſit odio, ſed multa potius exiſtere, quæ ſui in te amoris ac benevolentiæ mercedem efflagitent; videlicet, ut cum eo mutuum facias. amor enim non aliam ſui ipſius mercedem exigit, niſi parem amorem; quem ſi Chriſto denegaveris, nihil cauſæ erit, quo minus de te queri poſſit ac dicere, Quia odio habuiſti me gratis. hic igitur tam beneficus ac tam liberalis amicus, *poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur.* unde ſigni rationem eundem habere colligimus? ſigna multas res indicant; ſed duo in primis. aut enim certam itineris demonſtrationem habent, quam qui ſequatur, quo velit, ſine ullo errore perveniat; aut certos agri cujuſque fines oſtendunt, quibus quaſi cancellis incluſus, nemo poſſeſſionis ſuæ limen egrediatur. ac primum, non ſolum ejus vitæ index ac demonſtrator eſt Chriſtus, quæ recta tendit in cælum, verum etiam, eo iter habentibus, quod mirum videatur, comes ac ductor accedit; utpote qui eam viam cucurrerit primus, ſuiſque eam veſtigiis impreſſam inuſtamque reliquerit. num quemquam audiſti majoribus inſtructum auxiliis aliquod iter ingreſſum? numera, quam multa nobis ſuppeditentur, demonſtratio itineris, ductus, comitatus, peritia regionum; poſtremo impreſſa viæ veſtigia; jam ut, qui de ea deceſſerit, non tam non potuiſſe quam noluiſſe verum iter ſequi videatur. nam quid poterit dicere, Nullus nobis index ac demonſtrator contigit? at non ſinet eum loqui ſignum iſtud, quod, edito in loco poſitum, quemquam aberrare non patitur. num dicet, Nullus mihi itineris comes eſt additus? at premet fauces defenſionis iſtius, hic amantiſſimus comes, toties à nobis repudiatus ac ſpretus. an eam ſibi viam ſuſpectam fuiſſe defendet, quam nullis itineribus tritam aſpiceret? at jugulabunt iſtam excuſationem multa in ſingulis fere paſſibus inuſta Chriſti veſtigia. ab omni igitur defenſione nudus, fateri cogetur, omnibus à ſe modis hoc tam evidens certumque

ſignum

signum oppugnatum ac proditum. nam, quid est aliud, huic signo adversari, nisi diversum ab eo, quod demonstrat, iter arripere? quid est aliud, huic signo contradicere, nisi ejus demonstratione non uti? At, quod iter Christus notat ac designat? rectum & angustum. at nos obliquum latumque persequimur. quam ille viam commendat? asperam, salebrosam, difficili atque arduo ascensu. quæ vero à nobis probatur? facilis ac plana, & innumerabilium stultorum turba referta. num igitur cuiquam dubium videatur, quin hoc signum, ex Simeonis prædictione, multos adversarios & oppugnatores invenerit? Age, videamus, utrum signum, altero modo acceptum, Christo conveniat, an non. diximus, signum agris aliisque rebus fines præscribere, quos præterire non liceat. quis neget, hac etiam ratione acceptum signi nomen cum Christo congruere? qui etiam lapis appellatur. quæ sunt lapidis præsertim partes? sane multæ; sed, si de finibus quæratur, illæ in primis; agros finire, possessiones partiri, suum unicuique tueri. quem agrum designat ac finit lapis hic noster? non alium, nisi studia hominum & cupiditates. statuit, inquam, modum ac terminum, intra quem se continere hominum cupiditates debeant. quis nam huic signo contradicit? qui ejusmodi fines egreditur, qui à permissis ac naturæ debitis animi remissionibus, profectus, excurrit longius, atque in impuris ac vetitis voluptatibus exultat ac debacchatur. hic longe acrior est hujus signi insectator, quam ille superior. nam prior illud dumtaxat negligit, hic etiam impugnat; prior illud, ne digitulo quidem attingit, hic vero, quod in se est, illud diruere ac labefactare conatur. nam, quid est aliud, libidinosus, avarus, nisi effrenatus quidam equuleus, vel multarum collectione aquarum auctus amnis, objecta sibi claustra perrumpens? animadvertere potuisti, quemadmodum indomitus equus, effracto capistro, in alienas possessiones invadat; vel, quemadmodum auctum perpetuis imbribus flumen, munitione contemta, interjectos campos inundet. non minore vi impetuque, dum est in motu suæ cupiditatis, animus, ruptis frenis quibus ad virtutem dirigitur, vel effractis pudoris continentiæque repagulis, ad omnes ejusmodi

voluptates, libidines ſuas effundit. ut merito ita cum eo Deus expoſtulet, Fregiſti jugum, rupiſti vincula, dixiſti, non ſerviam. vere igitur prædictum eſt Virgini à Simeone de Chriſto, *Hic poſitus eſt in ſignum, cui contradicetur; & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* hoc eſt, tum Virgini demittetur doloris gladius in animam, cum multorum cogitationes aperientur, quæ intimis animorum latebris ac receſſibus occuluntur. at, quæ nam erant iſtæ cogitationes; quæ, per id tempus obſcuræ, demum in apertum erumperent? illud Iudæorum contradicendi ſtudium, de quo hactenus diximus. quæ nam erant involucra & integumenta, quibus idem odium involvebatur? illud vehemens Chriſti deſiderium, quo ſe flagrare aſſimulabant. ô perditas eorum cogitationes! ô falſos homines! mori videbantur ſtudio & cupiditate Chriſti inſpiciundi; ſed vix ejus rei poteſtas facta eſt, cum, ſupplicio affectum, ſuis eum ab oculis removerunt. magnifice ſe in eo efferebant, & ceteris etiam gentibus anteponebant; quod, Chriſtum inter ipſos oriturum, & res novas atque admirabiles patraturum, ex Vatum prædictione conſtaret; ſed ſtatim natum conati ſunt extinguere, &, admirabilia patrantem, earum rerum honore & gloria ſpoliare. etenim ea aut falſa eſſe cavillabantur, aut longe minora quam fama differret. quid? nonne ea etiam dæmonum præſtigiis accepta referebant, quæ perverſas perturbarent hominum mentes? eorum igitur facta, quæ longe ab oratione diſcrepabant, latentes in corde cogitationes aperuerunt; quæ cum ad exſtinguendum Chriſtum intenderent, quid mirum, ſi acerbiſſimum B. Virginis animæ vulnus inflixerint? eſto; fuerit hæc pravarum cogitationum occultatio propria illorum hominum ac temporum: at nunc B. Virgo, omni doloris acerbitate perfuncta eſt, jam non invenietur, qui phaleratis dictis, aut ſimulato pietatis officio, contrarium animum obtegat, qui ſe poſtea indicando, ſanctiſſimam Virginis animam, doloris gladio, tranſverberet. utinam, Hugo, vere id dici poſſet; certe, ſumma Chriſti Domini ejuſdemque matris in nos beneficia hanc à nobis mercedem repoſcunt. ſed non eſt ita; ea etiam pravitas in noſtra tempora erupit; pergitur adhuc

huc, quantum in nobis est, hic B. Virgini dolor inuri. qui Christiani nomine se jactat, neque voluptatem ullam prætermittit quam non persequatur, qui se studiosum B. Virginis profitetur, neque ullum genus improbissimæ cupiditatis à se alienum existimat, quid aliud facit, nisi obscura sua consilia de Christo aperit, atque ante oculos ponit? quid autem est, quod factis de se fatetur ac præstat? nonne, maximas sibi cum Christo inimicitias intercedere? an tu majores ullas inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias ac dissimilitudines studiorum & voluntatum? qui genio indulgendum putat, potest ei non inimicus esse, qui voluptatibus bellum indixit? quid aliud populi Iudaici odium Christo concitavit, nisi illa ejus acris ac vehemens vitiorum insectatio & querela? possumus igitur negare, quin ex hac cogitationum nostrarum declaratione maximus ad B. Virginem dolor perveniret, si ad beatissimam ejus animam aliquis dolori aditus esset? at, præstat Christianum non esse, quam sic esse. ut, quemadmodum, si Christus non venisset & locutus non esset, Iudæi peccatum non haberent; ita etiam, non parum multi ex Christianis minus multis magnisque sceleribus se contaminarent, si nunquam ad Christiana sacra venissent. ne igitur huic cælesti signo, dirigenti pedes nostros in viam salutis æternæ, ac bonorum malorumque fines præscribenti, iniquos nos præbeamus, illud identidem in animum subjicientes, nullam spem salutis reliquam esse ei, qui contra ejus indicium atque præscriptum mores instituisse, iterque hujus vitæ confecisse arguetur. Habes, Hugo, pro tua elegantissima epistola, hanc meam incomtam & rudem, & pro tua diserta oratione sermonem satis longum; qui quamvis sit longus, attamen nulla venustas, nulla in tam magno est corpore mica salis. Vale. IV Kal. Ianuarii CIↃ IↃ C XXXVI.

IX.

FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINI.

Rursus, mi Hugo, me, qui decreveram interquiescere, & modum aliquem scribendi facere, rapiunt illa verba, quæ, Kal. Ianuarii, à te sacrificante proferentur, nec tacere sinunt: *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Iesus.* genus orationis attende, quo tempus illud elapsum exprimitur, quod exspectandum ante circumcisionem erat. quid hoc verbi est, *Postquam*? cujus rei declarandæ causa præponitur? quid sibi vult hæc ratio & forma loquendi, *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer*? tum verbum hoc, *postquam*, usurpari solet, cum tempus aliquod diu multumque exspectatum advenisse lætamur. nam, qui præsentis cujuspiam boni, cujus fuerat cupientissimus, possessione lætatur atque triumphat, ita plerunque loquitur, Postquam longissimum illud tempus effluxit, quod voluptati obstabat meæ, tandem illud, quo ægre carebam, obtineo, tandem eo, cujus cupiditate distrahebar, ut meo libitum est animo, potior. ô Christi caritatem eximiam! ô salutis humanæ sitim inexplebilem! usque eo Christus Dominus fundendi pro nobis sanguinis ardore flagrabat, ut octo eidem dies, viderentur habere longissimi temporis spacium ac moram, &, tanquam si acerba & intolerabili multorum annorum exspectatione dilaceraretur, dicendum fuerit, *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer.* atque hic ejus sanguinis celeriter fundendi ardor, ita magnus, ita intolerabilis, non est à sacris Vatibus silentio præteritus, sed ipsorum vaticiniis multo ante prædictus; à quibus, propter hanc celeritatem ac festinationem, celeris ac festini nominibus nuncupatur. Isaias enim, cum dixisset, quod Salvator noster, ob salutem, quam humano generi daturus erat, appellandus esset *Emmanuel, consiliarius, admirabilis, Deus fortis, pater futuri sæculi*, postea ad celeritatem aspiciens, qua eam nobis salutem exhibiturus erat,

erat, *Voca*, inquit, *nomen ejus, accelera, spolia detrahe, festina prædari.* neque fides oraculo defuit; neque perperam id sibi nomen inditum Christus ostendit. etenim octavo, ab suo natali, die in aciem prodiit, hostem lacessivit, aggressus est, ut de eo spolia referret. hunc eundem ardorem animi, moræ impatientis, idemmet Christus per os Davidis expressit, cum diceret; *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* per *caput libri* ætatis Christi designatur exordium, in quo, sanguine circumcisionis asperso, tanquam purpureis incisum notis, aspicitur, nihil ipsi fuisse prius, quam Patris jussa perficere. *postquam* igitur *consummati sunt dies octo*, non minus cupide atque sitienter ad effundendum sanguinem suum accurrit, quam, enectus siti, ad hauriendos liquores perlucidos amnium, vel, quemadmodum inquit David, cum de ejusdem passione loqueretur, tanquam confectus itineris æstu viator, ad torrentium aquas in se ingurgitandas, auris ocius advolat, *de torrente in via bibit.* & quoniam, quæ Christus passus est pro nobis, hoc proprio signata nomine sunt, quæ à me hodie ad te scribentur, ad torrentis similitudinem atque rationem breviter omnia dirigentur. Atque, torrentis appellatione, tria nobis veniunt in mentem. primum temporariæ, non jugis, aquæ decursus; tum, delapsi de cælo imbres, quibus auctus locupletatusque decurrit; postremo, cœnum, quo lutulentus ac sordidus effluit. ac primum, torrentes, ideo non sunt perennes, quia non propriis aquis, sed pluviis, superne delapsis, conflantur; itaque tantisper fluunt, dum illa aquæ pluviæ vis suppetit; eadem deficiente, torrentes una deficiunt, atque exarescunt. quidquid nobis adversi in vita contingit, torrentis cujuspiam rationem ac similitudinem habet; quia non est perenne atque perpetuum; quia, ad summum, cum vita nostra finitur: quod secus est in iis pœnis, quas improbi apud inferos luunt; eæ enim, neque annorum decursu exhaurientur, neque ætate minuentur, neque vitæ exitu terminabuntur; quæ vita, quia erit immortalis, in nullum finem evadet; id adeo, quia non temporanea aliquâ animadversione coalescunt, sed ex perenni divinæ iracundiæ fonte proveniunt, ac permanent; quo

circa non torrentis, qui præterit, sed stagni, quod nullum habet exitum ad egrediendum, appellatione notantur. unde, in Apocalypsi, æternis ignibus addicti, non ad torrentem damnati, sed in stagnum compulsi detrusique dicuntur. *Et qui non est inventus scriptus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* improborum itidem furor ac sævitia. quos improbos D. Augustinus in eandem torrentis similitudinem & rationem non ineleganter includit, tantum intra hujus vitæ fines debacchatur ac furit, de quibus Christus dixit in Euangelio, *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, post hæc non habent amplius, quid faciant; ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* atque hæc de prima torrentis proprietate dicta sint, quæ, si placet, ad Christum transferamus. ille, simul ac hujus vitæ viam attigit, quam giganteo velut more & alacritate percurrendam susceperat, leniendi ejus incendii causa, quod amor faciebat, ad torrentes dolorum ac miseriarum ita incitato cursu contendit, ut, octo natus dies, neque eo amplius, tenellus adhuc & parvulus, dolorem circumcisionis, cujus lege non alligabatur, sponte susceperit, seque Herodis Regis insidiis, aliquanto post, fuga subduxerit. &, quoniam exsecrabilis impiorum hominum audacia, ad exsorbendum innocentium sanguinem & famam, torrentis vim & similitudinem habet, ut diximus; hinc etiam, obsecro, qualis & quanta in Christo fuerit ferendorum malorum sitis & ardor, excogita, & mecum infinitam, ac (si de alio diceretur) incredibilem, Christi caritatem admirare ac suspice. etenim, quo plura pro nobis posset & acerbiora perferre, non prius vitæ hujus limen attigit, quam hominum nequitia atque perversitas suam esset quasi maturitatem adepta. nam, quo tempore natus est, eo processerat hominum iniquitas, ut progredi longius non posset. nullum erat scelus tam magnum, quod homines non in sese conciperent; nullum facinus tam audax, quod non susciperent. quid multa? *completa* erat, ut Isaias loquitur, *malitia Ierusalem*; quid mirum est igitur, si extrema & intolerabilia perpessus sit, cum hujus torrentis aquas, ut de se ipse fatetur, in animam usque receperit, cum eædem ab hominibus,

omnium

omnium quicunque fuissent improbissimis, in ipsum irruerint? hæc ad summum perducta iniquitas, illa erat arbor, ad cujus radicem Joannes Baptista securim esse positam clamabat. etenim, arboris cujusdam more, ita fere in immensum excreverat, ut, patulis diffusa ramis, totum terrarum orbem opacaret, atque ab aspicienda veritatis luce repelleret. huic arbori infelici atque funestæ, Christus Dominus, qui venerat mittere gladium in terram, octavo ab ejus natali die securim admovit; nimirum initium effundendi sanguinis fecit, qui sanguis peccatum erat profligaturus ad terram. ô præclaram vitæ instituendæ rationem! ô auspicatum à perpessione dolorum, & sanguinis effusione, vitæ curriculum! hinc est, quod Apostoli Pauli verbis admonemur, ut, Christo in carne passo, eadem & nos cogitatione armemur; videlicet, ut eisdem cogitationibus vitam nostram dirigamus, quibus ille suam instituit. nam, quo, ab ipso fere ortu, revolutæ sunt Christi cogitationes? num eo, ut traderet se deliciis ac voluptatibus? minime; sed ut omnes in sese malorum & calamitatum fluctus attraheret. num, ut se opibus ac divitiis instrueret? nullo modo; sed ut rebus omnibus, etiam ad vitam necessariis, egeret. num, ut ditionis suæ fines longe lateque protenderet? nihil minus; sed, ut ne locum quidem sibi relinqueret, ubi caput reclinaret; in quo, pejori conditione fuit, quam cæli aves, ac vulpes; illi enim, ut ipsemet Christus questus est, nidos habent, hæ foveas, quo fugiant, in quas se includant, ubi conquiescant. quod ideo fecit, ut voluptatum, pecuniarum, & ambitionis crimina, radicitus exstirparet. quod si nos pro dolore voluptatem, pro paupertate divitias, pro mundi contemtu opes & honores, meditemur, quid aliud facimus nisi diversam à Christi voluntate studioque mentem cogitationemque suscipimus? vel, ut verius dicam, quid aliud agimus, nisi id, quod Christus tanto labore afflixit, excitamus, quod tanta vi convellit, rursus defigimus? totam igitur vim bene vivendi, in rerum humanarum despicientia & contemtione, & in earum rerum amore studioque ponamus, quæ vulgo aspera, acerba, & difficilia perpessu, putantur; neque tergiversemur, neque diem ex die ducamus; sed, quod acturi sumus, statim agamus,

agamus, Christi ejusdem exemplo, qui, peccati totius expers, non cunctatur, non differt, sed, statim ut natus est, ad perpessionem omnium malorum, se alienæ culpæ vicarium reumque substituit. Deinde torrentes, ut secundo loco posuimus, non erumpunt è terræ visceribus, sed aquis, superne delapsis, imbuti, percurrunt. quis non videat, torrentem illum malorum, unde Christus, velut sitiens, plurimum hausit, non ab humana aliqua potestate, sed ex divina voluntate, improborum ministerio malitiaque, coactum, originem ortumque traxisse? Ac primum circumcisio, unde tantum hodie doloris hausit, cui se natum subjecit, nonne lege à Deo lata manavit? pergamus longius. nonne verbera, flagella, cruciatus, quos perpessus est, crux denique illa, ab hominibus iniquissimis ipsi defixa, ex divinis decretis consiliisque processit? nonne hoc idem ipsemet Christus confirmavit? qui, illa tam nefaria tamque impudenti Pilati voce commotus, *An nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, ac potestatem habeo dimittere te?* respondit, *Non haberes potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper.* rem admirabilem! qui tot tantasque injurias sibi factas tacitus sustinuerat, eam, quæ Patri illata erat, dissimulare non potuit. etenim in summam Patris contumeliam recidebat, quod impurus homuncio suum ad arbitrium revocaret, quod manus & consilium Dei faciendum esse decreverant. ne multa; hunc torrentem, aquis de cælo demissis, intumuisse, quæ in ortu Christi enituit stella, prædixit. quam stellam, non cometem nescio quem, sed verum ac germanum astrum fuisse, non in aliquo cælesti orbe locatum, sed in hac proxima nostro aëri regione à Deo creatum, Theologorum scholâ declarat. sed; quamvis re ac materia à comete distaret, vi tamen & significatione, proxime ad eandem accessit. significatione, inquam, si ex communi hominum judicio, & vulgi interpretatione loquamur. nam ego, nullam esse in cometis rerum futurarum prædictionem intelligo. quid autem, ex communi hominum interpretatione, cometæ de cælo portendunt? opinor, Rerumpublicarum eversiones, seditiones, tumultus, & in primis funestos Regum ac Principum exitus. si quam igitur stella hæc cometæ vim habuit, si quid terrificum

Christo

Christo portendit, illud certe atrocissimum crucis supplicium esse debuit, cui Deus illum addixit, *delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* sed, quod magis miremur, ceteri cometæ, ad demonstrandos, ut diximus, Regum maximorum obitus, non ortus, horrentes crine sanguineo comas emittunt; hic vero, in ipso Christi ortu, funestas, ut ita dicam, faces accendit, quid aliud præmonstrans, nisi miserias, quibus ferundis ille editus erat? quod sane probavit eventus. nam vix diebus octo, post eum diem, quo hanc miseram lucem, vel tenebras potius, aspexit, circumcisionis dolorem ac dedecus, tanquam unus è peccatorum numero, subit. quæ cum ita sint, jam mirari desinat qui antea mirabatur, Christum Dominum, tot contumeliis affectum, tot suppliciis necatum, nullos gemitus, nullam vocem, nulla doloris sui signa dedisse. nam, præter infinitam ejus caritatem, qua majora pro nobis & acerbiora supplicia sustinuisset, aquas amarissimas cruciatuum, quas de torrente illo potabat, è cælo, nimirum ab æterna superni Patris voluntate, prodire intelligebat. quod si idem nobis, in calamitatibus nostris, veniret in mentem, quam æquiore in iis perferendis animo inveniremur! nam, neque, affecti damno, intemperantius doleremus, neque, lacessiti injuria, ad ultiones decurreremus, Iobi exemplo, qui, liberis orbatus, bonis eversus, valetudine spoliatus, patientiæ & rationis fines non est egressus, hac sola cogitatione retentus, quod ea malorum illuvies, tanquam aliquis torrens, à Dei manu, velut à fonte, decurreret. nam, *si bona*, inquit, *suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus?* multi præterea occurrent, tum ex sacris litteris, tum ex historiis, qui, malorum suorum fontem in Deum referentes, in hac patientiæ laude floruerunt; quorum princeps est David, qui, filium Absalonem fugiens, cum à Semei lapidibus & contumeliis impeteretur, eum inhibuit qui ibat ut tantam injuriam ipsi factam ulcisceretur, ac, *Dimitte eum*, inquit, *ut maledicat.* quid ais, ô David? tantumne facinus impune fugitivus ille præripiet? ita. quamobrem? quia Dominus præcepit ei, ut malediceret David. imitatus est præclarus Vates ac

regius

regius hunc eundem Christum, quem, divino illustratus lumine, in hac virtutis laude excellentem fore prævideràt. sed cur illatas mihi injurias & damna ita ægre sustineo? cur conqueror, ingemisco? cur par pro pari referre contendo? quia non Dei vindicantis justitiam, sed hominum injurias inferentium iniquitatem, excogito; quia aquis, non de cælo demissis, sed de terra fluentibus, urgeri me censeo. Postremo, torrentes, è limo, quem advehunt, fluunt lutulenti. nullæ nobis molestiores calamitates sunt, quam quæ existimationis nostræ nitorem inficiunt. Hugo mi, quo cœno, quam atro, suus Christo torrens effluxit! etenim Iudæorum improbitas semper id unum studuit, ut Christi gloriæ splendor supprimeretur. propterea dederunt operam sedulo, ut sacrilegus, seditiosus, infamis haberetur, ut inter duos latrones medius in crucem ageretur: at in his omnibus calumniis aliquis semper divinitatis ejusdem radius enituit: verum, circumcisus, iis fuit tenebris obsitus, ea caligine circumfusus, ut non alias magis id dici de eo potuerit, quod vaticinatus fuerat Isaias, Hic est Deus absconditus, quam cum sub cultro illo, quo sectus est, jacuit. nam, si Salvatoris nomen, quod sibi sumsit, excipias, quidnam aliud in circumcisione, nisi peccatoris imago, se obtulit? qua imagine nihil à Deo alienius, nihil eidem dissimilius, ne excogitari quidem potest; denique, qui verus erat Iacob, Esaui imaginem & formam expressit. scis enim, Iacob (nota est historia) quo facilius illum, quem se esse fingebat, assimularet, sibi manus & collum hædina pelle texisse, atque ita ornatum venisse patri in conspectum, ab eoque rogatum, quis nam esset, respondisse, se esse Esau filium ejus primogenitum; tum patrem, quo ejus, quod dicebatur, sibi fides fieret, detulisse manus suas ad manus Iacob, ac statim dixisse, *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* non minus in Christo, circumcisionis legi se subjiciente, manus Esau & hædina pellis apparuit, non minus, in nomine Iesu, vox Iacob exaudita est; nimirum Dei, nos ad vitam & salutem vocantis, velut quidam sonus acceptus est auribus. Atqui Dei filius, hodie in circumcisione, peccati caligine ac tenebris obsitus, majori cum admiratione cernitur, quam olim in splendo-

splendoribus sanctorum, magna & admirabilia perficiens, aspiciebatur. eviluerant jam illa, assiduitate cernendi; usu consuetudineque gratiam novitatis amiserant. *non erat amplius intelligens neque requirens Deum*. itaque nova & insolita aliqua re attrahendus erat homo in Dei contemplationem admirationemque. sed quid est tam novum, tam inusitatum, quam ut Deus mortalitatem nostram, tanquam vestem, induat? quid tam admirabile, quid tam supra omnem naturæ fidem, quam ut, peccati tenebris, divinitatis ejusdem splendor includatur? utrunque hodie, mortalium genus, non modo vidit, sed studio omni visendum putavit. nam *in similitudinem hominum factus est, & habitu inventus ut homo*, & circumcisionis tenebris clarissimus justitiæ suæ nitor occultatus est, ut nostri cupidissimus Deus, ad convertenda in se hominum ora oculosque, simile quiddam solis lunæque defectionum in se transferre voluisse videatur. nemo spectat solem, nisi cum luminis sui nitorem abscondit; nemo observat lunam, nisi laborantem.' non allicit ad sese nos claritas Christi? attrahat saltem caligo, qua tegitur. hoc est propositum Deo, in similitudinem carnis peccati effecto, ut, saltem ob has tenebras quibus obducitur, omnium admirationem, omnium oculos, in sese convertat. profecto stolidi, vel potius omnis expertes rationis, habeamur necesse est, si nulla nos rei, tam novæ, tamque admirabilis, cognoscendæ cupiditas ceperit, si nullus ejus saltem inspiciundæ ardor incesserit. quid? solne vel luna pluris apud nos erunt, quam autor solis & lunæ? num ad excitandam in nobis admirationem valere plus poterunt defectiones astrorum, quam luminis æterni claritas, tetra peccatorum nostrorum fæce circumlita? ne, obsecro, tanta nos socordia & amentia percipiat, sed conjiciamus libenter oculos in istud tam ingens amoris humilitatisque prodigium, ardentissimam ejusdem, effundendi pro nobis sanguinis, sitim contemplemur; &, si rem ipsam non posse videbimur, voluntatem illi profecto emetiamur, ut, si quæ posthac, ab improborum iniquitate, ferendi patiendique adversi aliquid occasio se dederit, non eam formidemus, sed, sitientium instar, sicuti torrentis cujuspiam aquam, excipiamus. nam vere sitiens, quamcunque

cunque nactus est aquam, sive perturbatam sive limpidam, avide haurit, semperque fatetur, se nunquam dulcius in vita bibisse. Vale.

X.

IN EPIPHANIA DOMINI.

HVgo, felix tibi nuncium apporto. Æternum superni Numinis Verbum, de regalibus cæli sedibus in hæc inferiora delapsum, audiendis mortalium votis ac precibus vacat. potuine nuncium optabilius afferre, vel cujus participes nos fieri magis expediat? at hoc parum est; audi, quod tibi cumulatius animum expleat. non per interpretes Vates, non per internuncios Angelos, ut olim, responsa dat, sed ipsemet coram nobiscum agit, vota omnium accipit, atque implet; non per cubiculi præfectum denunciat volentibus adire, se esse paratum operam dare, sed, ex castissima virginalis uteri aula egressus, ultro se offert, aditum petentibus dat conveniendi; sua ipsemet voce, Ego, inquit, qui loquebar, ecce adsum. quid tibi vis amplius? num aliqua erit in te mora, quin abeas, quin locum, ubi se adeundum præbet, ingrediaris, quin accedas, quin tua eidem vota exponas? at metuo, inquies, ac vereor, ne misero mihi atque humili, tantum ad Regem, omnes postea sint aditus ardui, atque præclusi; multæ erunt custodiæ transeundæ, multa cubicula obeunda, multæ ædium partes penetrandæ. cave istuc cogites; ne te mortalium Principum fastus moresque decipiant. immo, volenti eum adire, nihil erit apertius, nihil expeditius. &, quo omnis exclusionis metus & suspicio removeatur, quo omnis ex ædium magnificentia respectus abigatur, non in ædificio sumtuoso atque magnifico, non in regalis opulentiæ cultu, non aureo in solio, sed humili in antro, sed vili in præsepi, sed in fœno, consedit. sed quid nostra nos indignitas terreat, quid à Christo longius abigat, qui satis justas causas ad conjungendas nobiscum amicitias existimet hanc ipsam vilitatem & inopiam, quam de nobis ipsi fatemur? hic enim, ne nescias, est ille benignus atque misericors, qui *intelli-*

intelligit super egenum & pauperem. at vide, quam sit studiosus ac cupidus pauperum. nonne Reges sunt divites? nonne pastores sunt pauperes? at regibus sui natalis diem & locum, stellæ indicio, significavit; pastoribus vero, Angelorum voce cantuque, ostendit; insuper notas & signa aperuit, quibus homines rudes & tardi, nullo labore, locum, ubi jacebat, invenirent. *& hoc vobis signum; invenietis infantem, pannis involutum, & positum in præsepio.* sed quid mirum est, divitibus pauperes præpositos fuisse ab eo, qui, cum esset dives, factus est pro nobis egenus? quid magnum, tanto peccatoribus indulsisse eum, qui factus est pro nobis peccatum, cum peccatum non fecisset? Admissis igitur prius ad colloquium pastoribus & egenis, hodie introducuntur & Reges. cum Reges dico, non tam eos intelligo, qui dominantur in populis ac nationibus, quam qui affectibus imperant suis; non tam eos loquor, qui urbibus ac provinciis jura constituunt, quam qui cupiditatibus suis leges imponunt. hi quidem Regis nomen merentur; hi sunt regali fastigio dignissimi: qui vero suorum affectuum dominatu premitur, qui suo appetitui paret, quamvis in purpura niteat, quamvis auro gemmisque præfulgeat, quamvis Regis sibi nomen usurpet, & iisdem, quibus solis cursus regionibus terminatur, ditionis suæ spatia definiat, non magis in Regum numero est habendus, quam pecudes, quæ ventri prorsus obediunt. nonne tunc temporis Hierosolymis erat Herodes, cum ad Christi cunabula remotissimarum gentium Reges advocabantur? attamen nulla eidem vox Angelorum insonuit, nullum novæ stellæ lumen illuxit, ut etiam eam, quam Magi itineris sui ducem habebant, Hierosolymas ingressi, non cernerent. quamobrem hoc? quia non erat Regis loco apud Deum Herodes; sed feræ potius bestiæ, nimirum vulpis, numero habebatur; hoc enim Christus nomine, nefariam ejus Herodis calliditatem qua Ioannem securi percussit, in perpetuum notavit; *Dicite vulpi illi.* vulpium quoque nomen regius David perniciosis Principibus indidit, quibus impios homines, à Christi religione alienos, subjiciendos esse, prædixit. *tradentur*, inquit, *in manus gladii, partes vulpium erunt.* vulpium, inquit, hoc est, iniquorum præsidum.

vulpium,

vulpium, inquit, hoc eſt, malorum Principum. vulpium, inquit, hoc eſt, vitioſorum Regum. ſed quid Herodes hic, de quo agimus, ſimile vulpis non habuit? nam quid eſt vulpis tam ſimile, quam calliditas & aſtutia? at hæc in eo mira ſe prodidit, qui crudelem ſuum animum erga Chriſtum, pietatis ſimulatione contexit. *cum inveneritis*, inquit, *puerum, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* itaque Regibus ad Chriſtum aditus patet, vulpibus obſtruitur. ſed quia non raro vulpes ſe Regibus inſerunt, & ad Chriſti cubile, interimendi ejus cauſa, penetrare conantur, ſunt ſigna & notæ, quibus ſimulatio à veritate, fraus à ſtudio, odium à dilectione, internoſcatur. hæc autem ſigna nihil aliud ſunt, niſi munera, quibus inſtructi, ſe Chriſto Reges inſinuant. itaque ad introeuntium manus aſpiciamus, &, quid ferant, obſervemus; nam ſi quod habent, ſimile iis quæ à Magis afferuntur, in Regum numero ſunt habendi. hæc autem ſunt, aurum, thus, & myrrha. quamobrem, ſi manus affers auro refertas, hoc eſt, ſi auro caritatis abundas, ſi liberalis in pauperes, ſi juſtus in omnes inveniris, ad aurum quod attinet, Rex es; affer aurum tuum illi, qui habet manus tornatiles auro; quippe qui, non modo eſt profuſiſſimus ac liberaliſſimus in omnes, verum etiam eſt ipſamet humanitas, benignitas, caritas. at, ſi quis manus habeat, plenas ſceleris, flagitii & crudelitatis, num quid cauſæ eſt illico, quin vulpis nomen aſſumat? cujus ſævitiem, ita Chriſtus exhorret, ut Herodis crudelitatem in pueros, tanquam vulpis in pullos gallinaceos, fuga declinet. Age, requiramus à te reliqua munera, non minus, quam aurum, regali munificentia digna. etenim, poſt aurum, proferendum eſt thus. neque tibi, ejus gratia, ſupplicandum cuiquam eſt, neque ullus, pro eo nummus perſolvendus; potes enim illud, ſicuti aurum, de theſauris tuis expromere. thus autem, eſt mens, animus, & cogitatio tua bona; hæc ardentibus caritatis prunis impoſita, ſi, tanquam virgula fumi ex aromatibus, recta feratur in Deum, ſuaviſſimum ejus naribus odorem afflabit; at, ſi, vitioſa, alio deflectat, vel ſi quid mortale, caducum, humanumque redoleat, non tam ſuavitate aliqua Chriſtum illexerit, quam intolerabili odoris fœditate repleverit. illud quoque

que animadvertendum eſt, quod ſi deſit thus, perlucidum, ac plenum odoris boni, quod offeras, quidquid antea collatum eſt auri, diſperit totum. nam, *ſi diſtribuero omnem ſubſtantiam meam pauperibus, caritatem autem non habeam*, vel ſi, ad aucupandam liberalitatis famam, vel ſanctitatis opinionem, vel ejuſmodi aliquid, mea omnia impertiam, aurum ſimul atque operam perdam. neque enim ſubſtantiam, quam diſtribui, retinebo, neque ejuſdem collatæ in pauperes præmium à Deo, de quo non cogitavi, percipiam. quamobrem fit, ut neque ab eo, qui, ab hoc thure vacuus, ad Chriſti incunabula accedit, vulpis nomen alienum eſſe videatur. aliud enim agit, aliud ſimulat. Iam vero in eo, quod ſupereſt, non ſolum ſplendidos ac liberales, verum etiam prodigos profuſoſque, præſtare nos poſſumus. etenim, nulla res eſt, qua quiſque magis abundet, quam myrrha. hic eſt domi noſtræ theſaurus jugis; cum eo naſcimur, cum eo vivimus, cum eo mortem obimus. aliis quidem in rebus à beatis cæli civibus ſuperamur, in hac una eoſdem infra nos infinito propemodum intervallo relinquimus. nam aurum caritatis apud eos eſt mundius, illuſtrius, uberius, mens item in Deum erectior, incitatior, ardentior: at, ne una quidem lacrimula fieri locupletiores poſſunt, qui eas regiones incolunt, unde exulant labor; luctus & lacrimæ. quod ſi unam ex iis ærumnis, quas plerique fugimus, eos mercari fas eſſet, nullum eſt pretium tam grande, quod non pro ea perſolverent. valde care hæc ibi æſtimantur, quæ apud nos pretium non habent. vin' ſcire, quanti æſtimentur? Chriſtus, Dei filius, eorum cupiditate incenſus, tanquam ad mercatum miſeriarum, ad nos venit, atque adeo avariter omnia in ſe mala congeſſit, ut non quiſquam onuſtior hac merce ad cæli portum appulerit. ſed nondum ſaturatus eſt, nondum expletus; adhuc myrrham appetit, myrrham quærit, myrrham ſitit. at, quia non amplius huic mercimonio dare ipſi operam licet, noſtra hic opera utitur; nos, ejus loco, huic negotiationi præpoſitos habet. Chriſti negotiator erat Paulus Apoſtolus, cum diceret, *Suppleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in corpore meo.* neque, cum quiſpiam hinc ad eum commeat, ſi ſit ab hac myrrha vacuus, in æternas illas ſedes intro-

 ducitur.

ducitur. hanc quærit, hanc diligit, hanc redolet. jubet nos Apostolus, Christi indumentum esse, non habens maculam neque rugam; at, si vestimentum istud myrrham non oleat, ab eo rejicitur, eo se tectum esse non sustinet, nam *myrrha*, *gutta*, *& casia à vestimentis ejus*. contra, si quem myrrha olentem odoratur, currit in odorem unguentorum illius, seque in ejus amplexum atque osculum irruit. ô si te semel ille suo complexu dignum efficeret, nullum ab ejus divinissimo corpore odorem, nisi myrrhæ, naribus duceres, immo nihil nisi myrrham amplectereris, nec minus quam sponsa clamares, *Fasciculus myrrhæ dilectus meus*. sed cur te myrrhatum tantopere Christus efflagitat? nimirum, ut experiatur, quid ames, quid simules. nullum est amoris indicium tam certum, quam malorum dolorumque perpessio, si ita amici res postulet. quis non putasset amicissimum Christi eum populum, quem ille pavit in deserto? videbatur enim ex divinis illius sermonibus, magis quam ex spiritu quo viveret, animam ducere. urbem, domos, liberos, ac prope dixerim se ipsos, reliquerant, ut totos Christo se traderent. at, cum usus venit, nemine tam infesto usus est Christus quam populo illo. ejus enim vocibus, tanquam machinis, Pilati constantia expugnata est atque dejecta; tum palam se prodidit, quod amicum Christo fecisset, non amor sed cibus, non salutis æternæ studium sed præsentis commodi ratio. quid mirum, si oblatum ab eis regnum recusavit accipere? malebat videlicet in ipsorum cordibus angulum, quam in illis regionibus, quod deferebatur regnum, accipere; optabat potius dolorum lacrimarumque munuscula, quam largitiones regnorum provinciarumque; cupiebat passionis consortes ac socios circa se multos habere, nolebat Regis honore ac nomine, stipatus armatis, incedere. Sed tempus, ratio, atque modestia admonet me, Hugo, ut vela orationis colligam, neque, quemadmodum superioribus litteris factum est à me, eam longius provehi sinam. Totum igitur, quod dixi, ita perorabo atque concludam. Quod si unusquisque nostrum, regnum intra se habet, si hodie Christus reges ad colloquium admittit, si eorum munera accipit; ante Christi pedes fusi, non ad pauperum tenuitatem, sed ad

ad regalis munificentiæ copiam, thesauros eidem nostros proferamus; videlicet ea, quorum tantopere se cupidum præbet, large eidem, ut diximus, effuseque tradamus. ita enim fiet, ut per quietem, hoc est, tacite in interiori sensu, audiamus, ne revertamur ad Herodem, hoc est, ne rursus in potestatem Dæmonis veniamus, Christum in nobis enecare cupientis; vel potius ne ad veteris vitæ consuetudinem revolvamur. Da operam ut valeas. III Non. Ianuar. CIↃ IↃC XXXVII.

X I.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIÆ.

Memoria teneo, Hugo suavissime, in nostris colloquiis familiaribus, cum aliud ex alio, ut fit, oriretur, te non semel in eum sermonem delapsum esse, ut diceres, non posse tibi probari, quod egregiæ consuetudines multæ, quæ olim in Ecclesia vigebant, ac præsertim quod supplicationes illæ, quæ à Sodalitatibus feria quinta majoris hebdomadis ad Ædem divi Petri fiebant, sublatæ essent. nam magnificentia sumtusque, quo illæ celebrabantur, vicinarum urbium oppidorumque complures Romam attrahebant; quorum frequentia, cum incredibili omnium nostrum spirituali voluptate, præcipua Vrbis templa complebantur: deinde, religiosa illa sese verberantium agmina, quorum ad Dei misericordiam confugientium vocibus, D. Petri templum personabat, magnam vim habebat, ad excitandam in audientium animis pietatem in Deum, ac dolorem peccatorum: neque satis justam tibi causam videri, quamobrem consuetudines illæ inducerentur, quod, sumta occasione, multa multi improbe flagitioseque committerent: nullam enim rationem poscere, ut, quo vitiosa pellantur, ea etiam, quæ maximam in se utilitatem continent, removeantur. quod Euangelicus ille paterfamilias videtur intellexisse, qui vetuit zizania evelli, ne simul triticum exstirparetur. Hunc sermonem, à nobis habitum, reduxit mihi in memoriam Lucas Euangelista, qui tradit, Iesum

Christum, annos natum non amplius duodecim, una cum parentibus & cognatis ipsius, secundum consuetudinem diei festi ascendisse Ierosolymam. atque, ut me tibi totum aperiam, venit mihi sæpe in mentem, dubitare, num Christiani viri & pietatis cultoris officium potius esset, dies festos deserere, ac religiosissima sanctorum virorum templa, natali ipsorum die, refugere, an eadem, una cum ceteris Christianis adire. Perversus quorundam mos, abreptæque inde ad innumerabilia pene flagitia occasiones, vehementer me ab illis deterrere videntur; ex altera vero parte, & pietas & debitus sanctissimis hominibus cultus ac religio, eodem impellere. verum, cum videam hodie, Christum Dominum solemnes hos dies & religiosissimum templum, magna hominum frequentia celebratum, non vitare, sed una cum ceteris petere ac frequentare, facile in tuam sententiam adducor, mihique persuadeo, non debere esse tanti hominum scelera atque peccata, ut nos à templis atque ab aris, multitudine adeuntium circumfusis, debeant abducere. neque, contrariam sententiam tuentibus, eo confugiendum est, ut dicant, hunc à Iudæis morem, qui nunc increbuit, abfuisse, eosque suos dies festos, per summam castimoniam & religionem, coluisse. nam facile multis sacrarum litterarum testimoniis repellentur; ubi Deus, de corruptis ac violatis sacris apud illas gentes, graviter queritur; ut, cum per Amos, *Odi*, inquit, *ac projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum.* atque in eandem sententiam apud Isaiam legitur: *Neomeniam & sabbatum vestrum non feram; iniqui sunt cœtus vestri.* consueverant enim Iudæi, diebus festis, amare, potare, eosdemque magis invitamentum libidinis & ebrietatis, quam pietatis ac religionis materiam, habere. sed, num, inquies, sacrilegos Iudæorum mores, autoritate sua Christus confirmavit? num eos probavit, qui in obeundis templis, Iudæorum se erroribus oblinunt? nihil minus. etenim tantum abest, ut ejusmodi quidquam fecerit, ut non alias majore iracundia & stomacho exarserit, quam cum, templum ingressus, emtionibus ac venditionibus illud pollui ac contaminari animadvertit. nam, sumto in manus flagro, pecuarios, cum ovibus ac bobus quos eo tanquam ad mercatum

adegerant,

adegerant, summa vi animi & corporis expulit, cum non parum sæpe, pro incredibili ejus humanitate, multis maximisque flagitiis evictos, ne graviore quidem verbo appellasset. verum, exemplo & autoritate sua, duo nos edocuit. primum, neminem sacris legibus solutum esse debere declarat; deinde, sanctarum ædium frequentandarum rationem ostendit. Ad primum quod attinet, parentibus comitatus secessit in templum. quid sibi vult hoc? non poterat eodem solus accedere? cur parentes sibi comites addidit? non aliam ob causam, nisi ut aperte præciperet, nullum neque cognationis neque affinitatis vinculum ad legum sanctarum solutionem valere debere. neque enim, quod, affinitate vel cognatione, aliquem superiorem vel Regem attingis, ideo tibi magis liberum est, à jure, à lege recedere. immo, ut Princeps, ut magistratus tecum aliquid est, ita tibi legibus parendi vis & necessitas major imponitur; quia ea te affinitas & cognatio altiori in loco collocat, quia pluribus oculis subjicit, quia peccanti tibi, non solum auget crimen, sed insuper omnium odium addit. sed, quod rem propius attingit, ideo parentibus stipatus, Hierosolymam petiit, ut ii, quibus rerum divinarum cura committitur, ad ea, quibus alios obstringunt, se esse arctius obligatos intelligant. Sunt aliqui, vitæ hominum magistri, qui populos, sibi commissos & traditos, ad exactam sacrarum jussionum normam exigunt, se ipsos autem eo nomine eximunt, quod rebus divinis præsint, tanquam si, cognatione aliqua, Christi nomen attingerent, ac proinde nihil ad ipsos legum religio pertineret. indicunt aliis jejunia, se ipsi vero, vino atque epulis onerant; cogunt alios esse continentes & castos, se autem omnis turpitudinis cœno coinquinant; jubent alios ab alienis rebus non solum manus, verum etiam oculos, abstinentes habere, ipsi vero, bonis, undique ereptis, impune circumfluunt. deinde, ultra quam ferri possint, imperiosi, graviora, quam ferre possint, aliis imponunt, ipsi autem ne leviora quidem onera digito tangunt. næ, isti mali essent gubernatores, si, adversa tempestate, cum alii, edicto ipsorum, onera abjicerent, sentinam exhaurirent, malos scanderent, ipsi contra id, quod jussissent, navem onerarent, sentinam

implerent. nam, quid aliud esset consequens, nisi ut fortunæ ventorumque ludibrium fierent? nec minus, sermonibus ac reprehensionibus hominum, tanquam adversæ tempestati, ludibrium debent, qui ab iis, quæ docent atque imperant, factis dissentiunt ac discrepant. nam, ut Christus inquit, *si sal evanuerit, ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Viden', ut Imperator bonus ac fortis, imminente bello, suis ipse prior legibus pareat, ut ceteris acrius invigilet, ut, collatis signis, hac illac concurset, ut interdum solus inclinantem pugnam restituat, ut non magis ducis, quam militis, officia exsequatur? quod si, ceteris in campo se exercentibus, ipse solus in tabernaculo jaceat, vel, à se ipso discordans, qui militum animos in pugnam incenderat, hastam abjiciat, prælioque excedat, nonne inimicis victoriam tradat? nonne suorum proditor jure dicatur? vivere nihil est aliud nisi militare; *militia* enim *est vita hominis super terram.* arma pugnantium sunt, preces, vota, supplicationes. munitiones, unde pugnamus, sunt templa, & loca sacra. hæc si à sacerdote, tamquam ab inerti imperatore, destituantur, si spiritualia ab ipso arma abjiciantur, si hostibus cedat, nonne videt, se propugnatores suos, hoc est, Christianos, qui tanquam in ejus castris merent, spiritualibus hostibus necandos objicere? quam erat in hoc etiam genere David egregie bonus ac fortis imperator! nullam aliis legem indixit continentiæ, pietatis ac religionis, quam non sibi ipse antea statuisset; nullum aliis jejunium imperavit, quod non sibi ipse antea præcepisset. omnino sic se res habet, ut à magistratibus, atque rectoribus animarum, major etiam quam ab aliis recte honesteque vivendi necessitas requiratur. Septem præterea dies versatus est cum parentibus suis Hierosolymis Christus Dominus; totidem enim dies solemnia illa Iudæorum sacra auferebant: neque antea de reversione cogitavit, quam integrum illud tempus effluxit. num cuiquam dubium est, quin palam præcipere ac demonstrare voluerit, non esse discedendum à rebus sacris atque divinis, nisi eisdem transactis atque perfectis? sunt, qui, inchoato jam sacro, de industria superveniunt; sunt, qui, eodem nondum absoluto, discedunt; sunt, qui honestum

&

& laudabile facinus fortiter ineunt, sed illud segniter deserunt; sunt, qui per summam negligentiam atque desidiam prosequuntur, quod strenue aggressi fuerant. omnis istorum segnities, exacta Christi diligentia, notatur atque damnatur; sed in primis eorum verberatur iniquitas, qui divinis jussis atque præceptis, quæ servanda susceperant, deserendis, perniciosius peccant. nam sunt complures, qui ad diem festum Christo agendum confluunt, hoc est, qui honestioris vitæ genus ineunt, tradunt se jejuniis, precibus, ceterisque virtutibus; sed eorum conatus ante in ipso cursu franguntur, quam portum conspicere potuerunt; multa in eis recte inchoata cernuntur, sed nihil absolutum & perfectum aspicitur; itaque, quod sero inceperint, suum non ita alacrem ac promtum ad virtutem animum proferunt; quod mature desistant, suam ad vitia propensionem studiumque declarant. in quos nihil asperius potest dici, quam quod Petrus Apostolus in sua prima epistola gravissime loquitur, quia *melius*, inquit, *erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.* ut est dissimilis istorum Christus! qui nihil ad salutem nostram suscepit, quod non perfecerit; nullum in se onus, nostra causa, transtulit, quod non ad extremum vitæ pertulerit. atque, ut de ceteris taceam, opus redemtionis humanæ, à Deo sibi commissum ac traditum, ut strenue aggressus est! ut sine ulla defatigatione persolvit! quid ipsi vel à studio, vel à diligentia, vel ab ardore animi defuit? ut vere alacris, ac sicuti gloriabundus, Patri diceret, *Opus consummavi, quod dedisti mihi.* neque mentiebatur in gloriando. quid mirum igitur est, si parentes eum sui è conspectu amiserint, cum, nondum completis & transactis septem dierum spatiis, discessissent? sentis in te ipso, animadvertis, te à Christi societate paululum esse disjunctum; quid causæ esse putas, nisi quia ante septem dies, hoc est, ante completum hujus vitæ spatium, à templo, videlicet ab usu virtutum, recessisti? ostendam, ubi illum reperias. reduc te eodem, unde discessisti; videlicet ad amorem studiumque virtutis; jam, qui, tua culpa, delituit, sese palam aperiet. sed quid prohibet dicere, templum esse locum certissimum, ubi Christus inveniatur, si illic parentes eum sui reperiunt?

riunt? quod si ita est, jam nemo potest dicere, Quæsivi Christum, nec dum inveni. etenim, jam nunc hæc illi excusatio præciditur; via indicatur, locus demonstratur, notæ ac signa traduntur, quibus inveniatur. quid multa? in templo est, ibi habitat, ibi docet, ibi, adeuntes cum fiducia ad thronum gratiæ ejus, beneficiis ac liberalitate prosequitur. demonstrato ac notato loco rei abditæ abstrusæque, cujus simus cupientissimi, quis moretur? quis hæsitet? quis ad quærendum investigandumque segnior fiat? At, inquies, si passim Christus in templis & in locis sacris invenitur, jam, quotquot eodem accesserint, cum illo revertentur; sed, quotus ille quisque est, qui, cum hoc fructu compendioque, revertatur? ex contrario, quam multi sunt, qui, iis etiam bonis quæ habebant, amissis, regrediuntur! Bene agis, mi Hugo; quærendum est jam, quid tantæ jacturæ culpam sustineat. sed, ut omnia perquiras, nihil esse reperias in causa, præter perversam quandam ejus quærendi rationem. multum interest, quo nam modo Christus quæratur. hic, quia rite eum quærit, invenit; ille, quia secus quam decet investigat, è conspectu amittit. hic, quia paratus in templum venit, bonis cælestibus locupletatur; ille, quia imparatus accedit, inanis egreditur. ne multa; Christi inventio & consecutio tota ex ejus quærendi ratione dependet. nam, si accurata, si diligens, inquisitio fuerit, tibi statim occurret; si dissoluta, si negligens, longius à tuis oculis conspectuque recedet. At ubi, inquies, hæc ratio ostenditur? ubi nam ejusmodi diligentiæ forma præscribitur? multis quidem sacrarum litterarum locis; sed non abibit oratio mea longius, verum intra hujus Euangelii fines continebitur. nam, cum à suis Christum parentibus fuisse quæsitum inventumque narratur, aperitur aliquid, quod, in eo quærendo, sequi debeamus. unde igitur Christi quærendi modus petatur? non aliunde magis, quam à parentibus, de filiorum amissione solicitis. quæ est enim ingenii tanta vis, quæ latera, quæ vires, quæ matris, de filio amisso, querelas, solicitudines, lacrimas possit exprimere? *Fili, quid fecisti nobis sic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te.* ad ejusdem mensuræ rationem dirigenda est nostra in Christo quærendo diligentia. flendum nobis est,

est, dolendum; idque non tam vocis sono, quam intimo cordis affectu significandum: nam, ita affectis, se præsto futurum, Deus pollicetur. Etenim, *Si me quæretis*, inquit, *in toto corde vestro*, *inveniar à vobis*. quod si tu Christi desiderium lente ferre videaris, aut quærere simules, semper à te longius aberit. sed unde, à te fingi simularique, constabit? si divinis ejus jussis obtemperare neglexeris. nam, si, quodcunque inciderit in mentem, voles, sive rectum sive pravum sit, verbo te quidem ostendes quasi illum depereas, re autem ipsa, pejus, quam si illi sis inimicus, præbebis. egone me ab eo diligi putem, qui dissimilitudine studiorum ac voluntatum à me perpetuo dissideat, qui in summa sententiarum varietate versetur? nonne hic, si me amare dictitet, mendacii religione se implicet? non minus aperte mentiatur, qui suum in Deum amorem jactet atque commemoret, cum, omnibus in rebus, ejus imperio ac voluntati obversetur. quo mendacio, non facile quidquam dixerim frequentius à Deo ad reprehendendum, in sacris litteris, arripi. nimirum cum dicit hypocritis; Quid me vocatis, Domine, Domine, & non facitis quæ præcipio vobis? aut, cum de eorundem perfidia conquerens, *Populus hic*, inquit, *labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me*. Longum est, ac non necessarium, tibi præsertim quem nihil latet, omnia sacrarum litterarum loca referre, ubi hæc improbis perversitas simulatioque objicitur. illud omnino memoria retinendum est, ut, ex Prophetæ consilio, *quæramus Deum, dum inveniri potest*, &, si, Deum quærere, nihil est aliud, nisi omnibus eidem in rebus morigerum esse, ejus imperia ne detrectemus, ne demum, iratus, sese ab oculis nostris in perpetuum amoveat. Vale. IV Idus Ianuarii CIƆ IƆ C XXXVII.

X I I.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

NVptiæ, quas Io. Euangelista, in Cana Galileæ celebratas fuisse, commemorat, quasque nec B. Virgo nec Christus Dominus nec discipuli ejus, à sponsis invitati, refugerunt, dant nobis hodie differendi materiam, de cœnis atque conviviis, opiparis inquam, quæ publica vel privata aliqua lætitia conflavit. & sane solemnes conviviorum cœtus, propter pericula, quæ vix possunt esse sejuncta, pedetentim & caute adeundos esse, sacrarum litterarum monumenta nos graviter admonent. hinc prudens illa Salomonis oratio, quæ domum, luctibus refertam, anteponit illi quæ vino permadeat. hinc Iobi ratio vehementer laudata, qui liberos suos, ad alendam inter ipsos caritatem, mutua quotidie cum sororibus convivia agitantes, sacrificiis ac precibus expiabat, postquam singuli suas in orbem vices explessent. sapiens videlicet homo, atque ejus ævi longe sanctissimus, vix ab ejusmodi compotationibus ac concœnationibus, animum purum integrumque referri, arbitrabatur; ideo contractas in eis sordes, precibus atque suppliciis eluendas esse, existimabat. neque à veritate longius deflectebat. quotus enim quisque se paulo liberalius invitat, qui non in aliquo, temere dicto vel facto, labatur? quis largius, quam par est, expletur, nec ira, libidine, aut aliqua ejusmodi cupiditate corripitur? quam multa adulteria in vino conclusa atque perfecta! quam multæ cædes patratæ! quam multa scelera & sacrilegia commissa! *Sedit populus Israel manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* quo regalius magnificentiusque celebre illud convivium esset instructum, Rex ejus seculi potentissimus Baltassar, vasa sacra jussit afferri, eaque impiorum convivarum manibus usibusque subjecit. ad hæc, ex luxuria conviviorum, complures patres familias nobiles, amplissimis patrimoniis eversi; ex gutturis vitio, multa non privatis solum sed publicis etiam rebus detrimenta sæpius illata; gulæ ille-

cebris,

cebris, pueri ingenui, pudicitiæ libertatisque spoliati. &, quoniam in eo publicæ utilitatis ratio verti videbatur, hinc sine numero leges, de cœnis & sumtibus, ad populum latæ; lex Orchia, quæ præscribebat numerum convivarum; lex Fannia, quæ sumtibus modum statuebat; lex Didia, quæ duo jubebat; primum Italos legi Fanniæ, qua tantum urbani tenebantur, subjiciebat, tum non eos solum, qui majore sumtu cœnas dabant, sed eos etiam, qui vocati accessissent, pœnæ ejusdem multa afficiebat; lex Licinia, quæ, paucis mutatis, in plerisque cum Fannia congruebat; lex Cornelia, quæ minima rebus pretia definiebat. hinc aliæ etiam cibariæ leges, à Lepido, ab Antio Restione, latæ, quas, licet optimas, obstinatio tamen luxuriæ & vitiorum firma concordia, ut Macrobius ait, irritas fecit. Hîc te dicentem videor audire: Quid agis, ô Nicie? itane iis te erroribus illinis, quos adeo in concionatoribus reprehendis? videlicet, memoriæ vel eruditionis ostentandæ gratia, multa ex veterum scriptis huc infers, nec necessaria nec utilia? Sed, obsecro, mi Hugo, ne tibi veniat in mentem, id suspicari de eo, quem nec ætas acta nec professio ad ejusmodi ineptias labi permittit; verum, eo consilio huc descendi, ut intelligeretur, quam recte, sacræ nos litteræ, ac sanctorum Patrum cohortationes à solemnibus sumtuosisque conviviis avocent, unde, utpote pudicis moribus inimicis, veteres homines, à vera religione alienis, publicis etiam legibus, pœnarum metu, repellerentur. At hodie ejusmodi convivium proponitur, quod communibus & usitatis vitiis careat, ac propterea cuivis tutum sit eodem accedere. atque illud est, ubi Christus, & B. Virgo cum Apostolis, accubant. quis ab hoc convivio abhorreat, quod hujus notæ convivis impletur? quis non potius summa ambitione in id recipi postulet, unde melior abeat atque sapientior? Tribus præsertim vitiis laborare solent tempestiva convivia. primum, immodicis epulis ac non necessariis abundant; tum, impuris dictis ac vocibus percrepant; postremo, fere semper convivas à se tristes perturbatosque dimittunt. videamus ergo, quam longe absint hæc vitia ab hoc convivio, ubi Christus interfuit. ac primum, an fuerit splendidum, sumtuosum, & in

in multam noctem productum. immo fuit modicum, tenue, breve, & magis accubantium probitate ac sermone bono conditum, quam ciborum varietate completum; usque adeo, ut, ne vinum quidem, sicut ille ait, diffusum è pleno sit œnophoro. nam tum defuit, cum necesse erat maxime; ac, nisi B. Virginis humanitas, ad Christi opem confugiendo, illi incommodo properasset occurrere, sponsi sive inopia sive incuria despectui omnibus fuisset. Sed, quamobrem eo convivio ita delectatus est Christus, ut, rebus novis ac supra naturæ vires patratis, clarum illud ac nobile in perpetuum reddiderit? nimirum, ut, quæ sibi cœnæ in primis probarentur, ostenderet. hæ autem sunt, quæ necessitatibus naturæ subveniunt, non autem quæ corpus atque animum opprimunt. ejusmodi Christus cœnis invitatus accedit; immo se ipse infert atque intrudit; neque deesse aliquid patitur. nonne, ad Antonii Abbatis adventum, panem Paulo duplicavit? nonne huic ipsi convivio, de quo loquimur, cum deficeret, vinum suppeditavit? Ad sermones autem quod attinet, quibus convivium istud celebratum est, quis audeat dubitare, quin eo pudore fuerint, ea modestia, quam inter sanctos versari par est? satis est, verbo simpliciter ponere, iis Christum interfuisse. At nihil in hoc convivio fuisse dictum vel factum, quod Christi oculos vel aures offenderet, illud quoque argumento est, quod nihil æque B. Virgo iis, qui aderant, inculcavit, atque ut Christi jussis diligenter obtemperarent; *Facite, quæcunque dixerit vobis.* quibus verbis non tam eos affata est qui tum nuptiis intererant, quam nos, quam eos qui deinceps venturi sunt; ut, si Christi consuetudine ducimur, si ejus præsentia & suavitate movemur, si spiritualium consolationum vino imbui cupimus, ejus jussa diligenter persequamur, hoc est, à divinæ legis præscripto ne tantulum quidem recedamus. si, quos Christus jusserat implere hydrias aqua, aut contemsissent, aut acetum vel aliquem alium liquorem infudissent, quid causæ fuisset, quo minus ille è mensa consurgeret, vinoque destitutos convivas amitteret? non magis mirum vel novum videri nobis debeat, si, quoties in nostris sodalitiis atque conviviis divina imperia minuuntur, atque ea interdum committuntur, à

quorum

quorum fœditate sol ipse (quemadmodum de Atrei cœna poëtæ fabulantur,) ne aspiceret, suos, si fas esset, radios absconderet, Christus protinus fugam arripiat? si quispiam nostrum, vocatus ad cœnam ab amico, multa ab eo fieri cerneret quæ voluntati ipsius adversarentur, multa etiam quæ existimationem ejusdem graviter læderent, nonne continuo (ut levius quid dicam,) assurgeret, & , quantum potest, inde fugam arriperet? atque, si potentia ac dignitate polleret, nonne tantam & tam insignem injuriam, omni ratione persequendam vindicandamque curaret? quod non licet homini contra hominem facere, licebit homini contra Deum admittere? quod hospes ab hospite non ferret, Christus à vilissimo Dæmonis mancipio ferret? meæ mihi injuriæ graves videbuntur, suæ Christo leves existent? non est ita; sed eo majore illas odio prosequetur, quo divina ejus majestas est ceteris humanis majestatibus amplior. proinde, si quis sibi cupit Christum convivam abducere, parce primum & frugaliter convivium exornet, probis & honestis viris compleat; tum, nihil in eo fieri dicive patiatur, nisi ex divinis legibus, ex sanctissimis moribus, atque optima disciplina. postremo, quam diversus est hujus convivii exitus ab eo, qui immoderata & flagitiosa convivia consequitur! ab illis enim nova scelera proficiscuntur, in hoc vetera etiam & obsoleta ponuntur: illi in luctum ac mœrorem desinunt, hoc voluptate lætitiaque expletum abeuntis animum linquit. sed, quid mirum, cum in hoc Christum versari, in illis perpetuum humani generis hostem dominari contingat? Atque id, quod de conviviis loquor, ad omnes hujus vitæ voluptates & commoda transfero. nam, quid aliud sunt ea omnia, quæ aut permulcent sensum voluptate, aut capiunt oculos pulchritudine, aut animum splendore præstingunt, nisi tempestivæ, eaque præclaræ ad aspectum, epulæ, ad nos decipiendum objectæ? quas, non inficior, suavitate aliqua esse circumlitas; non enim tam multos ad se allicerent. sicut nec inficias eo, spirituales delicias, severitate quadam obduci. non enim ita eas plerique defugerent. sed paulatim omnia experientia usuque se produnt; nam, unde jocus, suavitas, delectatio, voluptas expectabatur, inde

inde fletus & tristitia percipitur; unde vero dolor & ærumna metuebatur, inde voluptas lætitiaque deducitur. dum incipias, dum ignores, illæ tibi videntur prædulces, hæ amaræ; sed, ubi periculum facias, ubi noris, ecce mutata omnia; quæque antea jucunda putabantur, acerba sentiuntur; quæ autem aspera & difficilia videbantur, supra quam dici potest suavia & jucunda redduntur. Omnino hoc interest inter mundi Christique convivium, quod mundus, quidquid dulcedinis & suavitatis habet, totum in initiis exponit, ut ejus illecebris, quod amarissimum latet, absorbeatur: ex contrario, Christus, quidquid insuavis & austeri speciem offert, statim objicit ac proponit; quo nimirum experiatur, utrum ames an simules; tum, ea dulcedine animum explet, cujus magnitudinem nulla exæquet oratio. id quod ne architriclinum quidem illum effugit; de quo, hoc in loco, commemoratur; qui, *Omnis homo*, inquit, *primum, bonum vinum ponit*, &, *cum inebriati fuerint, id quod est deterius; tu autem bonum vinum servasti usque adhuc.* quamobrem hoc? quia in hominum vulgarium mensis, hoc est, in voluptatibus corporis, celeriter vinum in fæcem amaritudinis transit; in spiritualibus vero epulis, lacrimarum aqua in vinum lætitiæ traducitur. in illis, tantum vini apponitur, quantum vix primis illis invitationibus sit satis, deinde (liceat mihi loqui, ut vetus Poëta loquitur) *fluctus fullonius* ingeritur, qui est potandus ingratiis; hoc est, non satiatur nec expletur humanis voluptatibus animus, sed vix earum lenociniis irritatur, cum aut avidior cupidiorque relinquitur, aut res amarissimas fœtidissimasque in sese ingurgitare compellitur: in his vinum abundat ac superest, nimirum perfecta & absoluta lætitia tribuitur; quod verba illa declarant, *impleverunt hydrias usque ad summum.* sed multo id elegantius atque aptius David expressit, qui suis Deum convivis mensuram plenam, confertam, coagitatam supereffluentemque polliceri ac re ipsa præstare testatur. ô mundi in sua dulcedine elargienda tenacitatem! ô nimiam ejusdem in sua amaritudine profundenda prodigalitatem! illam vix unciatim dispertitur; hanc, non modio, non trimodio, sed toto, ut ajunt, horreo, metitur. quid, si tantillum illud, quod

quod est in voluptate dulcedinis, ne sincerum quidem purumque gustatur? huic rei argumento sunt, tum pleraque alia, tum acres illi morsus, quibus improborum animi in media voluptate pervelluntur. solæ cælestes consolationes, puræ integræque sumuntur; solum vinum, à Christo, ex aqua conflatum, merum ac defæcatum hauritur. quid opus est verbis? illa, illa inquam, quæ, in spirituali vita, insuavia & acerba putantur, longe multumque iis voluptatibus præstant, quibus tantopere vulgus hominum inhiat. itaque plus suavitatis inest in una lacrimula, quam cælestis patriæ cupiditas & dolor de peccatis expressit, quam in omni prorsus lascivia, risu, ioco, ceterisque in rebus, quibus istorum voluptates abundant. neque aliud postulatur ab iis qui aliter sentiunt, nisi ut experiantur. commode, mea quidem sententia, Vlysses apud Euripidem, in Cyclopo, Sileno interroganti, quid secum vini advexisset, respondit, ut degustaret; cui Cyclopus, Ita convenit, inquit, nam gustus emtorem vocat. ita etiam non est quod quisquam de lacrimis aliisque spiritualibus pœnis temere quidquam definiat, nisi experientiam adhibeat. profecto, illi affirmo, quod si semel ea degustaverit, fore ut tantam in eis suavitatem inveniat, ut non aliunde sitim suam explere, vel aliis se epulis saturare, concupiscat. Vale. XVIII Kal. Februarii CIƆ IƆC XXXVII.

XIII.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

QVæ à D. Matthæo Apostolo, hoc capite, de turbis, Christi Domini sectatoribus, ac de egregia Centurionis, viri nobilis, fide narrantur, cogunt me pauca de divitum ac nobilium moribus strictim attingere. qua de re, si quid liberius ad te, virum nobilem, mihique amicissimum, scribam, non modo in offensionem tuam non incurram, sed etiam magnam à te, veritatis diligentissimo, gratiam inibo. non enim, quamvis nobili ortus sis genere, iis vitiis laboras, quibus omnis fere nobilitas

nobilitas in primis abundat. quod si mihi sit dicendum, quantum tua te virtus ab aliorum divitum similitudine abstraxerit, longi sermonis aditus aperiatur necesse est, videlicet de tuis verissimis ac justissimis laudibus dicendi; quem mihi aditum quum tua singularis modestia ac probitas intercludat; illis omissis, vel potius in aliud dicendi tempus rejectis, ad rem ipsam aggrediar.

Cum descendisset igitur Iesus *de monte*, *secutæ sunt eum turbæ multæ.* Eo sermone perorato, quem, divinis ac salutaribus præceptis refertum, Christus Dominus de monte, tanquam de loco superiore, habuerat, ab universa fere concione stipatus, reductus est domum. quæ concio, ut Matthæus ait, constabat ex turbis, hoc est, ex infimæ sortis hominibus; ejusmodi enim ordo, turbarum vocabulo & nomine continetur. principes vero, & Scribas & Pharisæos, verisimile est, eo relicto, diversis itineribus domum revertisse. ex quo perspicuum fit illud, quod omnibus fere seculis accidit, hoc est, pauperes ac tenues homines se Christo comites addere, opulentos autem ac divites, ejus societatem ductumque defugere. nec mirum. quæ enim ab illo tradebantur, eo spectabant, ut nobis contemtionem honorum, atque odium divitiarum, moverent, præterea contumeliarum ac paupertatis studium amoremque conciliarent. hæc probabiliora fiunt iis, qui nunquam honores attigerunt, neque ad divitias pervenerunt; at, quibus, in summa rerum omnium abundantia, dignitatis splendor accedit, non modo ingrata, verum etiam odiosa contingunt. at vide, inquies, ne amplificandi studium te, tanquam aura quædam, abripiat, & ultra veritatis terminos abstrahat: nam, quam multos honestissimos homines, ac primos civitatis, Christum præcedentem sequi conspicimus! non ignoro, plures esse, nobili genere natos, qui se Christi discipulos dici contendunt; scio, esse Sodalitates nobilibus ex viris conflatas, quæ sublatum Crucis Christi vexillum sequuntur. novi, inquam, hæc omnia; sed, quamvis vehementer probanda sint, videndum est tamen, utrum in eo sint omnia nec ne. neque me flatus aliquis eloquentiæ, quæ nulla est in me, à veritate longius avocat, sed dictorum factorumque dissidium, quod in eis cernitur, de eorum volun-

voluntate dubitare compellit. nam multum intereſt,quæ nam cauſa nos Chriſto conjunxerit; utrum ſimplex officii ratio, an ejuſdem imitandi voluntas ac ſtudium. etenim, ſi quos inanis quædam officiorum oſtentatio, honoris gratia, poſt Chriſtum agit, tanquam poſt magiſtratum vel Principem aliquem, nec animorum conjunctio morumque ſimilitudo adſit, moneo, ut diſcedant, ut operæ ac labori parcant; nam, hac inepta ſimulatione, nihilo plus agant, quam Iudaicus olim populus egit, cujus omnis in Deum pietas ac religio externi cujuſdam cultus finibus continebatur, cum, ceteris in rebus, divina ejus juſſa legeſque perfringeret: nec tantam ejus perfidiam diſſimulare potuit Deus, cui iſtud cordis linguæque diſſidium nudum erat ac patens; ſed, ſtomachanti ſimilis, eidem ſæpius objecit. itaque, quemadmodum populus ille, externis illis ſignificationibus, non modo Dei benevolentiam non promeruit, ſed ejuſdem etiam odium & offenſionem incurrit; ita etiam, ſua iſtis officia, ſi à corde diſſideant, ſi cum operibus pugnent, nihil niſi judicium damnationemque conficient. deinde, ſermonibus de divinis rebus intereſſe, cohortationes frequenter audire, neque quidquam ad virtutem proficere, quantum in extremo judicio ſeveritatis damnique conflabunt! quid tam Iudæorum culpam & crimen auxit, quam Chriſti ſermo, ab ipſis perceptus, ac deinde neglectus? *Si enim*, inquit, *non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* ſermo igitur Chriſti contemtus, ſummam illis cladem & interitum attulit. ſed qui fieri hoc potuit? num, à fonte ſaluberrimo, veneni virus erumpit? nonne idem hic ſermo eſt, quem alias Chriſtus, vitæ fontem appellat, cum dixit, *Verba mea ſpiritus & vita ſunt?* cur nunc eidem, damnationis Iudæorum & mortis cauſam attribuit? num poteſt eadem res ſimul & mortifera & ſalutaris exiſtere? num ſibi ipſe contrarius eſt Chriſtus? minime. nam, quid tam fovet ac reficit hominem, quam cibus? quid tam eundem opprimit, quam idem cibus? ſed tum alit ac recreat, cum concoquitur & concoctus in ſuccum & ſanguinem vertitur. ex contrario, tum officit atque enecat, cum crudus innatat ſtomacho; neque ex eo vires reparantur,ſed minuuntur. ita etiam divinum

verbum, quo animus sustentatur ac viget, tum salutare invenitur, cum, quadam quasi concoctione digestum, in anima funditur, unde, ad spiritualia munera exsequenda, hilarior vegetiorque reddatur: tum contra, alienum est & lethale, cum integrum remanet, nec deficienti animæ nutrimentum aliquod influit. summa denique huc redit, ut auditores verbi tantum, & non factores, possint eo quidem onerari sed non ali, interimi sed non refici. Verum, est ne aliquid, unde liceat conjicere, cælestis verbi pabulum. nobilium virorum animis, ad salutem & vitam insedisse? multa quidem sunt, sed duo in primis, quæ in rebus mirabilibus hîc à Christo patratis, tanquam involucris, occuluntur; sed non est difficile ea evolvere, &, tanquam ad aspiciendum, oculis subjicere. ac primum in eo leproso, qui sanatus à Christo narratur, aperitur aliquid, quod vitia nobilium exprimat, ac prope ante oculos statuat. & sane, est ne aliquid, quod expressius repræsentet vitia nobilium, quam lepra? nam, sicuti lepra non in venis nec in visceribus latet, sed in summa corporis parte se aperit; totamque cutem exsecrabili scabie, quasi squamis, obducit; ita nobilium vitia se latebris non possunt includere, sed in summam cutem erumpant, hoc est, omnibus se prodant necesse est. deinde, ut illa frequentibus maculis variisque coloribus notata distinguitur; ita in viris nobilibus, omnia seorsum vitia panduntur, sive sint libidinis, sive avaritiæ, sive crudelitatis, non autem confusa & permista cernuntur. postremo, lepra iis morbis adnumeratur, qui serpunt ac manant longius. quamobrem, nisi subita ac præsens cautio sit, comprehendit multos atque corrumpit. jam vero, quemadmodum cupiditatibus Principum infici tota civitas soleat, non arbitror exspectari à me longi sermonis disputationem. immo, hoc perniciosior est vitiosi Principis contagio quam lepra, quod, qui conflictant cum ejusmodi morbo, ne alios infestent, in agros longe à communi hominum societate pelluntur; vitiosi vero Principes à multitudine certatim ambiuntur, edito in loco collocantur, unde facilius, perniciosi exempli virus, in mores effundatur. præterea, quos ob lepram expelli contingit, ab iis omnes decedunt, sermones eorum aditumque defugiunt, non modo eisdem

eisdem poculis quibus illi, verum etiam eodem spiritu, atque adeo eodem cælo, uti vereantur, ne quid incommodi ex contagione percipiant: istos vero fortunatos ac nobiles, longe periculosiori implicitos lepra, omnes adeunt, circumstant, sectantur, &, quo quisque illis in cubiculo, in convivio, proximior est, eo felicior ab omnibus existimatur. ecquando spes est, eosdem posse sanari? ecquando sit verisimile, eos, non magis officii quam emendandæ vitæ gratia, in disciplinam ad Christum convenisse? cum faciunt id, quod in leproso isto laudamus. qui vociferatur, clamat, *Domine, si vis, potes me mundare.* atque haud scio, an ullum certius salutis istorum argumentum possit afferri, quam cum ipsi sibi displicent, cum ægritudinem suam agnoscunt. etenim nihil est, quod minus velint, quam sua sibi crimina objici, nihil quod malint, quam se falsis laudibus onerari. testes adulatorum greges, quos circa se habent; testes, ex omni seculorum memoria, homines innocentissimi, quibus, aut vera principibus viris suasisse aut crimen aliquod objecisse, fraudi capitalissimæ fuit. itaque, cum sponte, sua ipsi vulnera detegunt, cum medici opem implorant, jam non simulantis sed vere pœnitentis animi signa ostendunt. id quod promta illa Christi, in hoc leproso sanando, voluntas ostendit. vix enim oratus ab illo est, ut tantam vim morbi à se repelleret, cum ejus votis ac precibus Christus occurrit. *Domine, si vis*, inquit ille, *potes me mundare. & extendens Iesus manum, tetigit eum, dicens, Volo, mundare.* Alterum non minus illustre atque spectatum divitis ad Christum conversi specimen, in illa tam supplici tamque demissa Centurionis confessione proponitur, qui se indignum prædicavit, qui tecto Christum exciperet. at, quodnam genus morbi in ejus domo versabatur? paralysis. quæ ratio ægritudinis, omni fere ex parte, illi morbo respondet, qui plerosque divites occupat. cur enim pravus divitiarum usus cum paralysi conferri non possit? nam, si illa membrorum resolutionem affert, immoderatæ divitiæ, si cupiditas adsit, effusas in omni intemperantia libidines faciunt; si illa tremorem nervis inducit, divitiæ possessores suos amittendi metu semper excruciant; si illa ad sanitatem raro perducitur, sic hærens in visceri-

bus divitiarum amor vix unquam evellitur; postremo, si, paralysi vehementer abrepti, extemplo memoriam amittunt, multo magis, quos secunda fortuna corrumpit, & divini judicii & communis conditionis oblivio capit, adeo ut res secundæ plerunque nihil nos aliud quam naturam dediscere doceant. sed quando huic spirituali paralytico amissæ nervorum vires reparantur? quando ex animo tremor excedit? quando motus ac mens redit? quum, incommodo & calamitate aliqua pulsus, de propriæ existimationis fastigio dejicitur, seque veræ humilitati possidendum totum attribuit, tum vero animus viget, tum nullo rerum præsentium metu concutitur, tum meminit præteritorum, tum futura providet. non sunt ex longinquo exempla petenda, præsto est hic Centurio, qui pueri sui calamitate percussus, ad eam humilitatem descendit, quæ ipsum etiam magistrum humilitatis, Christum, in admirationem impulerit. erat honesto loco natus, id quod superbiæ materies esse solet; ad nobilitatem accedebat licentia militaris, quæ magnam arrogantiam & magnos spiritus addit; ita tamen summisit animum, ut vix eo infimæ sortis homines descendant, quo ipse se demisit. quid mirum est igitur, si aliquanto plus impetraverit, quam petierit? orabat puero suo sanitatem corporis; ipse vero, tum id, tum æternam animæ suæ salutem, obtinuit; postremo, sapientissimo Christi judicio laudatus discessit. Sed, ne te diutius morer, sic habeto, perinde homines de viri nobilis pietate judicaturos, ut eum humilem animo atque demissum aspexerint. quod si elatum ac tumidum viderint, fingi ab eo omnia ac temporis causa simulari existimabunt. Decreveram persequi longius; sed genus chartæ, in quod incidi, cogit me consistere, quæque erat in animo exponere, in aliud scribendi tempus rejicere. jam diu nebulones isti, qui chartas venditant, mihi imponunt. nam, cum aridam posco, bibulam obtrudunt. Quæso te, ut, ex argumento carminis in B. Agnetem, deleas illa verba è S. Ambrosio, *Et quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret*; atque ea tantum relinquas, *Fuit ne in illo corpusculo vulneri locus*? nam solum mihi propositum est ostendere, quamquam virginis illius corpus fuerit angustius quam

quam ut ferrum posset recipere, fuisse tamen divini amoris receptaculum laxissimum amplissimumque. Cura, ut valeas. XI Kal. Februarii CIↃ IↃC XXXVII.

XIV.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM.

QVod omnis fere ævi sapientes, Hugo doctissime, solicitos habuit, ac prope in eam sententiam attraxit, ut crederent, hæc inferiora, & humanum genus in primis, nulla divinæ providentiæ parte contineri, id nos, ex hoc Matthæi loco, non nihil perturbare, vel potius in eosdem dubitationis æstus videtur posse compellere. Etenim vix una cum Christo navim conscendunt Apostoli; at qui homines, Deus bone! quibus, neque integriores neque sanctiores, neque illa neque alia ætas aspexit; cum subito tanti fluctus cooriuntur, ut nihil propius sit factum, quam ut, vi tempestatis abrepti, in scopulos & saxa impellerentur. Christus vero, qui tanto carissimorum suorum periculo commoveri, qui laborantibus succurrere, qui opem ferre debebat, tanquam parvi curans quid illis fieret, altiori somno oppressus, tantis eorum periculis indormiebat. at quid nam aliud videtur indicare hic Christi somnus, nisi, Deum, sua beatitudine contentum, nihil de rebus humanis laborare, sed eas omnes fortunæ arbitrio administrandas gubernandasque permittere? ex altera vero parte, si quis consideret, Christum Dominum eadem, qua Apostolos, tempestate jactari, atque eisdem fluctibus appeti, protinus in aliam sententiam, superiori illi contrariam, eat, fateaturque, non modo ex hoc loco non colligi, probos & honestos viros, divinæ providentiæ cura destitui, sed luce clarius ostendi; firmissimis eos præsidiis auxiliisque muniri; neque in hoc Christi somno offendetur, sed majorem aliquam causam eidem subesse existimabit in obscuro positam, quam non sit ita facile expedire. utrunque breviter his litteris persequar. primum dicam, quamobrem turba, in litore & in otio relicta, eos, quos vita cariores habebat,

 bat,

bat, prope in exitium abduxerit; tum causam afferam, cur ita somno possidendum se dederit, ut non antea expergisci voluerit, quam à discipulis suis excitaretur. Ac primum, celebris illa quæstio, quare Deus optimum quemque atque sanctissimum, omnibus fere semper ærumnis affligi permiserit, contrà iniquissimum quemque omnibus prope bonis expleri cumularique voluerit, non solum veteres philosophos torsit, verum etiam viros, omni sanctitatis laude perfectos, solicitos habuit. at ego, omissis illorum disputationibus, pauca quædam, in præsentia, ad hujus Euangelii explicationem accommodata subjiciam. Vnde Christus discipulos suos abripuit? à portu. quo eos deduxit? in mare. Qui terram aliquam deserit, qui, conscenso navigio, se ventis fluctibusque committit, quid nam aliud videtur velle, nisi vel patriam persequi, vel transmarina ac longinqua loca, unde plurimum capiat utilitatis, ac voluptatis etiam, appetere? at hic, inquiet aliquis, multis fortasse magnisque tempestatibus ludibrio erit, quarum vim plane effugiet, si, terrestri domicilio contentus, maritimos æstus vitabit. esto, at hic, si maris expers esse velit, vel patria domo in perpetuum carebit, vel multas magnasque divitias ac voluptates amittet. multorum è vita discessus quotidie nos docet, non hic habere nos patriam permanentem, sed futuram inquirere. insatiabilis hominum cupiditas admonet, non esse hîc veras opes, sed egestatem & inopiam. animus, semper avidus, semper appetens, semper inanis, clamat, non esse hîc aliquid unde possit expleri, sed aliunde illud esse petendum. at, si utrunque assequi volumus, patriam scilicet & divitias, suscipienda est navigatio, trajiciendum mare magnum, æstuosum, infestum, scopulosum, piratis obnoxium, ventis tempestatibusque jactatum. non est alia navis, quæ in ea loca transmittat, præter eam, quæ hodie legitur pæne fluctibus obrui. aut enim conscendenda hæc est, aut patriæ cogitatio æternorumque spes bonorum abjicienda. at magnum in discrimen caput nostrum objicitur, at labores plurimi subeuntur. nemo dicet secus; sed fructus etiam amplissimi reportantur. nulla unquam res ardua suscipiatur, si spectetur ad labores, quos ea habet adjunctos; tum ea initur alacriter,

alacriter, cum, qua utilitates emergunt, aspicitur. non inficior, in iis molestiis, quas spiritualis vita affert, vim magnam inesse ad perterrendum: nam, honores contemnere, voluptatibus bellum indicere, divitias velut grave aliquod onus abjicere, magnam in se molestiam continent; sed agricola etiam arandi voluntatem amittat, si ad incommoda aratorum spectet, si nives, soles, frigora, æstus, atque alia, quæ necessario perferenda sunt, cogitet; verum spes utilitatis futuræ non modo facit hæc leviora, verum etiam ab aratorum cogitatione repellit. ita etiam, qui cælestis patriæ ac prædivitis illius messis spe ducitur, ne commemorari quidem sibi patitur labores, qui pro ea adipiscenda capiuntur. hanc illi spem adime; tum, si, ceteris quiescentibus, noctu ad orandum seque excruciandum verberandumque consurgeret, si aliis, opes & honores hiantibus, ipse divitias quas habet effunderet, dignitates quibus potitur amitteret, non minus insaniret, quam qui, nulla spe utilitatis objecta, terram verteret, semen spargeret, imbres ventosque perferret. quid igitur dicendum est de iis, quibus boni viri, inopia, egestate, aliisque ærumnis afflicti, miseri atque infelices videntur, contra improbi ac scelerati, opibus, divitiis, honoribus, aliisque bonis locupletati, felices ac fortunati existimantur? nihil omnino, nisi fatendum, nulla eos futurorum bonorum spe præditos esse. quam multos fuisse putas, qui, cum Ioannem Baptistam, catenis onustum, ac funestæ cervici collum subjicientem, aspicerent, ex altera parte Herodem, genio indulgentem, atque inter turpes inquinatarum mulierum choreas ludentem intuerentur, nihil illo miserius, contra nihil hoc felicius inveniri posse existimarent! at ii ex eorum erant numero, quos nulla futurorum bonorum cogitatio subibat: at, qui longius prospiciebant, bene actum esse cum Ioanne, ac Herodis rebus pessime consultum, loquebantur. nam ille, hac navi vectus, & patriæ jam proximus, vehementissimis quidem flatibus, sed nihil ad extremum nocituris, agitabatur; ille autem infelix, à vera patria in perpetuum exclusus, atque æternis ignibus addictus, illa interea brevia ac misera habebat futurorum malorum oblectamenta. si ex duobus exulibus alter revocaretur in patriam, alter

 reditum

reditum desperare juberetur, atque ille, qui relictus est in exilio, cum audiret, socio, in patriam redeunti, multa in itinere adversa contingere, nimirum parum eum laute ad cauponem diversari, per salebras, vel per constrictas glacie vel per corruptas imbribus vias iter habere, atque ea omnia mala perpeti, quæ viatoribus necessario sunt ferenda; felicitati suæ vehementer gratularetur., quod, in otio sedens, omnium earum molestiarum expers inveniretur, quibus socium implicari perciperet; profecto hic, omnium sententia, insanissimus haberetur. nam, si mentis compos existeret, fleret, quereretur, ingemisceret, quod non liceret suum sibi otium cum quibusvis itineris molestiis commutare, quo suos posset quamprimum adire, osculari, complecti, vel saltem jucundissimo patriæ dulcissimæ aspectu oculos pascere, atque animum exsaturare. quid? si, optione data, mallet, perpetuo catenis vinctus, in laboribus & ærumnis exul vivere, quam in patria opibus divitiisque florere, nonne, ad hujus stultitiam, nihil stulti cujusvis insania esset? ò miseros homines, & ad alia omnia, quam ad suam salutem, prudentiores cautioresque! egreditur cum ea navi Christus è littore, quæ, exules, ex hoc infelici & ærumnoso loco reportat in patriam; invitat omnes, qui hîc exilio ac pœna multantur, ut secum conscendant, ut ad ingentes divitias, adque ad æterna bona possidenda, festinent: at multi, non solum recusant venire, sed, cum ex litore cernunt, hanc navim adversa tempestate jactari, ac, sævientibus Austris Aquilonibusque, hac illac impelli, modo fluctibus appeti, modo eisdem compleri, modo, hiante mari, ejus pæne fluctibus abripi, exultant, gaudent, seque eo nomine felices appellant, quod ab eo periculo tutos litus excipiat. sed mox intelligent, quantum, ex ea mansione, ad eos damni redundarit; mox percipient, quantam ipsis calamitatem infelix illud otium attulerit, cum illos ex tempestate in ocium, se. autem ex otio in perpetuos fluctus, devenisse comperient, cum se relictos ad pœnam, illos autem in sortem sanctorum & in possessionem æternæ felicitatis, aspicient. non est eadem hujus navigationis conditio & ceterarum. nam in aliis, plerunque de via deceditur, in hac recta in patriam itur; in aliis, sæpe

navis

navis ex naufragio deperit, in hac incolumis portum ingreditur. potest ea quidem fluctibus agi, at non mergi; potest in scopulos pelli, at non frangi; potest à ventis invadi, at non vinci. præterea, est gubernator peritissimus, & quod rem continet, ventorum ac tempestatum dominus, suorumque vectorum amantissimus. quod si ita est, inquies, cur, ferendi auxilii tempore, se passus est à somno invadi, ac tam arcte constringi? cur ita suorum sibi carissimorum memoriam effugere, ut, nisi excitatus & admonitus, opem ferre noluerit? at non dormit, sed videtur dormire; jacet quidem corpus, sed erectus est animus; connivent oculi, sed mens ad custodiam evigilat. ille enim est, qui de se dicit, *Ego dormio, & cor meum vigilat.* neque alia sapientior compescendæ hominum inertiæ excogitari ratio poterat. unde enim indiligentiores evadimus, quam ex otio & securitate nimia? quamobrem, ut nos semper paratos ad cavendum efficiat, multas interdum magnasque malorum moles excitari permittit; quas, resistendo, atque in ejus opem auxiliumque confugiendo, facile vitare possimus. deinde, ideo nonnunquam Christus, immissis ventis, hoc mare funditus versat ac miscet, hoc est, rebus adversis, vitæ tranquillitatem turbat ac commovet, ne navigandi, nimirum vivendi, dulcedine delectati, portus & patriæ cogitationem prætermittamus. quemadmodum iis contigisse narratur, qui, ut est apud Poëtam nescio quem, navigatione secunda læti, piscium lasciviam intuebantur, neque eos tuendi satietas capere poterat; at, simul ac, ut idem refert, mare inhorruit, tenebræ conduplicatæ sunt, noctisque ac nimbûm obcæcavit nigror, hilaritas abiit in luctum, navigandi voluptas conversa est in desiderium portus & patriæ. quid si ea etiam de causa interdum sibi Christus somnum immittat, quo fidei cujusque periculum faciat? num quis, afflictus aut inops, Christo dormiente, desperet? nam, qui ita cum adversa fortuna componitur, ut non unum se cum ea pugnare, sed Christo junctum ac copulatum, existimet, hic profecto non tenue fidei suæ argumentum ostendit. quod si abjectis hastis, ut dicitur, fuga salutem quærat, vel rei adversæ obstringendum se tradat; jam videtur existimare, se à divina ope destitui;

 videlicet

videlicet Christum alias res agere, neque plus de salute hominum solicitum esse, quam qui, altiore somno oppressus, sensuum judicio destituatur. quamobrem, cum fortis tentatio invadit, cum ingens calamitas ingruit, etiamsi omne cælestis gratiæ auxilium cessare videatur, duo in primis jubeant; & nos undoso æstuosoque mari deportari in patriam, & eadem cum Christo navi deferri. nam alterum leviorem, immo jucundam, nostram calamitatem efficiet, alterum non sinet, cuiquam nos calamitati succumbere, eo adjutore munitos ac socio, qui universos sævientis pelagi fluctus sedare possit ac velit. Vale. III Kal. Februarii CIↃ IↃC XXXVII.

X V.

FESTO PVRIFICATIONIS B. M. V.

IN libro, qui Leviticus appellatur, ut tu melius nosti quam ego, cautum erat lege, divinitus lata, ne quæ puerpera templi limen antea ingrederetur, quam dies, quos purgationis vocant, essent elapsi. quæ lex, quamvis mulieres omnes amplecteretur, neque earum aliquam excluderet, nihil tamen ad B. Virginem pertinebat. quæ, ut recte D. Thomas docet, cum Dei mater esset, sigillatim hujus præcepti vinculis eximebatur; nullæ enim in ea sordes inerant, quas elui oporteret. verum, quemadmodum omnis in eam plenitudo gratiarum à Christo redundavit, quem vidimus *plenum gratiæ & veritatis*; ita etiam ab illo virtutum omnium cumulus, ad exaggerandum virginis animum, in eandem sese transfudit. itaque, sicut Christus, qui lege, per Moysem lata, non tenebatur, sua voluntate, ejusdem oneribus sese subjecit; ita B. Virgo, legis ejusdem vinculis soluta, ad Christi humilitatis exemplum, eisdem obligandam constringendamque se tradidit. Similiter, eadem lege præcipiebatur, ut, quæ mulier, sive marem sive fœminam peperisset, Deo agnum, quo litaret, offerret, ac, si id minus per inopiam liceret, par turturum vel columbarum in ejus locum subrogaret. at Dei mater, quam rerum omnium inopia, qua premebatur,

batur, ab emtione agni repellebat, duo hæc altilium genera simul, Deo, pro peccatis omnium hominum, obtulit. nota est turturum & columbarum mansuetudo, simplicitas, pudicitia, ac mutuus inter marem ac fœminam amor, ut conjugii fidem non violent, ut nidum non deserant, &, quod caput est, ut perpetuis fere gemitibus omnia compleant. qua in re, Christi bonitas, spirituale cum Ecclesia connubium, nullo unquam tempore dirimendum, declaravit; præterea lacrimæ, dolores, cruciatus, mors denique, quam pro nobis obiturus erat, significabantur; ad hæc, non obscure demonstrabatur, quod nam sacrificii genus sit aptum in primis, ad expiationem scelerum flagitiorumque nostrorum. at, ex verbis legis, non satis liquere videtur, cujus in primis peccata eo munere expiarentur; utrum matris, an filii. sed tutior, & sacris litteris congruentior, communis sanctorum Patrum sententia est, quæ præsertim filii peccatis prospectum atque consultum fuisse affirmat. pro peccatis igitur filii, illud sacrificii genus immolabatur, quod aptius, id quod à nobis Deus, ad expiationem scelerum nostrorum poscat, exprimeret. hæc autem sunt illa tria, qua supra indicavimus; demissio animi altissima, cordis obedientia perfectissima, perennium fons lacrimarum, ubertim ab oculis defluens. felicem illam animam, cui, domi suæ, liceat hæc turturum ac columbarum genera alere. de quo ita David Deum alloquitur, *Beatus vir, cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.* sed quo nam descendit, ut necesse habeat ascendere? in locum descendit vel potius se præcipitavit, in summam ac mirandam altitudinem depressum. ô casum horribilem ac luctuosum! nullus est locus ita præceps, ita profundus, ut ille est, in quem peccator ipse se agit. itaque, si redeundum est eo unde sese devolvit, sursum nitatur oportet; quod quia assequi, sine scalarum ope, non potest, divino auxilio excitatus confirmatusque, in medio cordis sui scalam defigit, unde, animi demissione, cordis munditia, caritatis ardore, tanquam gradibus, paratur ascensus in Deum. interea mundi hujus pelagus inhorrescit, tenebris cælum obducitur, undique omnes insectationum venti erumpunt; ægritudines, morbi, egestas, inopia in eum,

eum, ficut grando præcipitans, cadit, largiflui lacrimarum imbres, ab oculis defluentes, totum pæne circumfluunt. quid agat bonus peccator? hæc omnia, tanquam turtures & columbas, Deo immolet, eumque precetur, ut det pacem propitius, ac fibi parcat. deinde, ex facris litteris conftat, hæc dari folita à matre pro peccatis filiorum, ut dixi. at, quam nam dixerim effe matrem peccatoris? illam ipfam Virginem fanctiffimam, quæ hodie Deo patri, in illis turturibus ac columbis, Chrifti filii fui patientiam, humilitatem, paffionis tormenta, & lacrimas, obtulit. hujus matris longe piiffimæ manibus tradendum eft cor humile, caftum, Deique amoris igne incenfum; tum, ea omnia, quæ quifque adverfa patitur, five fua voluntate five coactus, ut Dei oculis fiftat. non enim eum folum ad mifericordiam impellet, fed inexplicabili quoque voluptate perfundet. nulla adeo res eft, qua ita Deus delectetur, ut peccatoris pœnitentia, matris fuæ manibus fibi tradita ac commendata; tum vero omnibus lætitiis exultat, tum nihil fibi faciendum prius videtur, quam ut illius mifereatur, ejufdemque peccatorum recordatio fit evulfa ex omni memoria. quid illi credis fuiffe animi, cum à B. Virgine fuum fibi filium, & cum eo una, in illis duobus volucrium paribus, amariffimas ejus lacrimas, acerbiffimofque dolores, quibus, mortis tempore, immolandus erat, dari, donari, dicarique intueretur? profecto, nullum arbitror fuiffe in eo vifcus, quod non intimo mifericordiæ fenfu erga noftrum genus commoveretur. impius Rex ille Antiochus, cum Machabæos fratres exquifitiffimis illis tormentis excruciari necarique juberet, jamque natu maximo manus & pedes præciderentur, & cutis capiti detraheretur, ceteri fratres dolorem, quem caperent, ea cogitatione leniebant, quod dicerent, fore, ut illis cruciatibus, quos animo æquo perferrent, magnam Deo voluptatem objicerent; atque in hanc fententiam, verfum ex cantico Moyfis, paulo aliter quam eft in eo fcriptum, ufurparunt. nam cum dixiffent, *Dominus Deus afpiciet veritatem, & confolabitur in nobis*, quo dicti ratio conftaret, Moyfis teftimonium recitaverunt, his verbis, *Quemadmodum in proteftatione cantici declaravit Moyfes, Et in fervis fuis confolabitur.* fed *miferebitur*,

rebitur, non, *consolabitur*, in eo quo utimur codice legitur; *& in servis suis miserebitur*; at illi, utrunque verbum in unam eandemque significationem convenire existimaverunt. quid agitis, ô sanctissimi juvenes? nihil ne interest, utrum quis gaudio an misericordia commoveatur? quis lætatur, cum miseretur? quis res meas afflictas ac miseras, gaudio simul misericordiaque prosequitur? aveo à vobis scire, quomodo sublatum sit omne inter hæc duo discrimen; cupio enim discere. Gaudet, inquiunt, Deus, cum nostri miseretur; quia se nactum occasionem videt, de nobis bene merendi. audit amici miserias fortunatus quispiam ac dives; gaudet, non amici rebus adversis, sed quia oblatam sibi esse facultatem sentit, qua illis occurrat, eumque ex miseriis eripiat. ex hoc eodem genere est illa voluptas, quam Deus ex nostris calamitatibus, ex peccatorum lacrimis, percipit. quæ eo nimirum spectat, ut re ipsa eximium & singulare suum in nos studium benevolentiamque declaret. sed, obsecro, admirare egregium illorum adolescentium animum, quibus acerbissimos illos cruciatus leviores ac, prope dixerim, jucundos ea cogitatio reddebat, quod per eam rationem viam sibi munirent in cælum, Deumque voluptate perfunderent. Sed jam eo, unde paululum digressi sumus, revertamur. Tertio loco, præcipiebatur à lege, ut in ipso vitæ cujusque aditu vestibuloque, his muneribus Deus veneraretur, quo quisque intelligeret; quo instructu ornatuque, vitæ hujus curriculum ineundum esset, illúdque à carceribus, ut dicitur, ad calcem decurrendum; videlicet, quidquid nobis temporis ad vivendum datur, non esse illud in voluptatibus, deliciis, jocisque ponendum, sed in laboribus, lacrimis, doloribusque transigendum. his artibus itur in cælum; hæc, eorum, qui illuc pervenerunt, frequentibus contrita est itineribus via. *Euntes ibant, & flebant.* quam utiliter, quam sapienter, quam recte, disposuit ascensiones in corde ipsius, in locum quem disposuit Deus, ille, qui de se, tanquam glorians, inquit, *in laboribus à juventute mea!* quamobrem, cum hilaritas, voluptas, amœnitas, ad sese nos alliciunt & attrahunt, respondendum est, Improbæ, quid agitis? abite, alios illudite; quid nos conamini frustra decipere?

per

judicii terrore metuque concussis ceteris, ac properantibus pœnitentiæ lacrimis, conceptás peccatorum sordes, abluere, comissari ac pergræcari audeat, neque aliqua in re, suum sibi genium fraudare. nam quid de hoc homine dicit Christus, nisi; *Hic est, qui me traditurus est*, hic est in extremo judicio, mea sententia, damnandus? Superest Beatissima Virgo exoranda, ut turturum columbarumque muneribus, videlicet nostris animis, nulla peccati fœditate contaminatis, sed potius lacrimarum fonte ablutis, atque intimo dolore affectis, Deo exhibitis, eum nobis propitium facere studeat. Sunt turtures & columbæ, pauperum inopumque munuscula; parvo cuivis pretio licet ad ea pervenire. sed quid, parvo, inquam, pretio? immo, nullo. nemo est nobis adeundus, nemini supplicandum, nullus nummus persolvendus. est domi, unde hæc promamus, unde large effuseque fundamus. nulla enim re ita referti, ita divites sumus, ut lacrimis, doloribus, ærumnis. itaque, cum hæc nobis Deus ad expiationem scelerum imperarit, omnem voluit excusationem adimere, ne videlicet, prætermissi à nobis muneris crimen, tenuitatis excusatione defendamus. Vale. Prid. Kal. Februarii CIƆ IƆC XXXVII.

X V I.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM.

HÆc epistola, duarum epistolarum munere fungetur, vel potius una epistola duas continebit. nam, quum hoc anno Dominica quinta ac sexta post festum Epiphaniæ, à Septuagesima, in quam incurrunt, absorbeantur, non mihi visum est æquum, eorum dierum Euangelia, uberrima ad explicandum, prætermittere. quamobrem, ubi, quæ mihi venerunt in mentem de hoc primo Euangelio, breviter explicuero, continuo de illo altero pauca subjiciam. quod quamvis, ut dixi, longissimam epistolam efflagitet, tamen cohibebo me, neque omnia effundam quæ cogitavi. vereor enim, ne jam mihi, ac meis litteris quæ voluminis instar habent, male

preceris,

preceris. sed, quoniam placuit tibi, ut impertirem ea, quæ magis lectione sanctorum Patrum quam ingenio peperissem, ferendum est, quoad ego, lassitudine confectus, conticescam. sed, his omissis, ad rem ipsam accedamus. Christus Dominus, *Regnum cœlorum simile esse hominis* dixit, *qui seminavit bonum semen in agro suo*; *cum autem dormirent homines, venisse inimicum* illius, *ac superinjecisse zizania*. nosti cetera; nota est historia. qua in re, multa nobis cognoscenda se offerunt; sed duo in primis notitiam nostram videntur exposcere. primum, quod zizania tantisper latuisse dicuntur, dum fructum efferrent; alterum, quod paterfamilias, messis tempore, messoribus se imperaturum dixit, ut seorsum à tritico zizania ponerent, atque, in fasciculos alligata, in ignem conjicerent. Ad primum quod attinet, tum apparuisse zizania, Christus inquit, cum crevisset herba. nec mirum. nam lolium, vicia, avena, atque ejusmodi frugum pestes, cum primum prodeunt è terra, cum, viriditate sua, velut vaginis includuntur, usque eo tritici similitudinem gerunt, ut internosci vix possint; at, simul ac adultæ, ex illis involucris, tanquam integumentis dissimulationis, emergunt, tum se aperiunt, neque esse id, quod assimulabant, ostendunt. quamobrem sapienter vetuit paterfamilias, zizania ante tempus excerpi, ne, similitudinis errore, aliqua tritico inferretur injuria. *Sinite*, inquit, *utraque crescere, ne forte eradicetis & triticum*. superfluum ac non necessarium est, pluribus verbis ostendere, agrum, de quo Christus loquitur, Ecclesiam esse, quæ, ejus imbuta sanguine, & ob id, fertilis effecta, semper cum usura reddit quod accepit, alias cum decumo, alias cum vigesimo, nec parum sæpe cum centesimo. cui enim hæc nota non sint? neque minus perspicuum est, bonum semen, quod seritur in hoc agro, Christianos censeri, dignos hoc nomine, zizania vero, improbos, facinorosos, ac præsertim hypocritas, qui extrinsecus, à principio, nihil fere distant à bonis, progressione autem temporis & malitiæ, multum ab eis discrepare cernuntur. illi enim ingruentes tentationes fortiter ferunt, & fructum afferunt in patientia, veteratores vero isti, abjecta probitatis persona, vitia, quæ occultabant, aperiunt. quamobrem divinitus, illi

cum tritico, isti cum zizaniis, in comparatione junguntur. illud potest habere dubitationem, quo loco & numero habendi sint ii, qui, interjecti inter hos medii, neque vitiis neque virtutibus præstant; utrum ad triticum referendi, an ad zizania rejiciendi, an ad tertium aliquod genus. vacuitas à culpa, eximit eos à zizaniis; sterilitas ab operibus, inter triticum numerari non sinit. sed, cum vir quidam longe doctissimus atque sanctissimus inter zizania avenam numeret, simul etiam affert, quod huic quæstioni respondeamus. quod nam est vitium avenæ? illud nimirum, quod grana quædam in spicis cassa atque inania contineat, unde, ut est apud poëtam nescio quem, sterilis appellatur. ergo, si recte similitudines sequimur, nullius, ut dicitur, frugis homines, non ineleganter, avenæ nomine continebuntur, &, quod rem continet, in rationem zizaniorum includentur. ô rem miram, & in qua omnes perhorrescant! inutiles & infructuosos, idem qui damnosos perniciososque, exitus manet; ignis nimirum æternus. at, qui nam sunt isti infructuosi? qui peccatis quotidie confitendis, concionibus audiendis, Sodalitatibus frequentandis, nihil fere ad humilitatem, nihil ad rerum humanarum contemtum, nihil ad ceteras bonas artes nituntur, sed in eodem semper gradu consistunt. hi, inquam, avenæ sunt. ille, qui talentum defoderat, avena erat: at cujus criminis arguebatur? non ejus certe, quod traditos sibi nummos per luxuriam perdidisset, sed quod, fures metuens, obruisset, nec in fœnore collocasset. quis igitur eum casus excepit? idem qui zizania; nimirum ut, fasciculi cujusdam instar, ligatis manibus & pedibus, sempiternis ignibus traderetur. itaque sanctus David, quo æternam illam felicitatem Sanctorum, non otii atque socordiæ, sed contentionis ac dimicationis præmium esse, significaret, beatos, felicitate illa donandos, anni coronam appellavit. *Benedices*, Deo inquit, *coronæ anni benignitatis tuæ.* qui nam autem, nisi meriti in bello, corona donantur? inertes ignavique, tantum abest ut ornentur, ut etiam infamia notentur, atque etiam damno ac morte multentur. sed tritici ipsius ratio, ad cujus similitudinem electi diriguntur, nullum in eis desidiæ atque socordiæ locum esse relictum ostendit. quis non videat,

videat, quot periculis ac laboribus triticum antea defungatur, quam in horreum includatur? mitto terram exustam ignibus, aratam tauris, subactam vomere. primum, ipsum semen in humum jacitur, terra occæcatur; tum, ortum, sarculo purgatur, ac, si se nimium effuderit, morsibus bestiarum depascitur, postea imbribus verberatur, frigore cohibetur, sole exsiccatur, ferro demetitur, fustibus teritur, mergis excutitur. nec minoribus fatigati laboribus, horreis cælestibus sancti condiuntur. quin, illi hoc plus habent negotii quam triticum, quod triticum, nullum, ex zizaniorum societate, accipit damnum vel malum, at illis multa ab hominibus improbis, aspera, acerba, ac difficilia perpessu, proveniunt. nam, qui colit scelera atque flagitia, iniquissimo eum animo sustinet, qui fidem pudoremque sectatur; neque eidem magis est æquus, quam olim is, qui secundum carnem natus erat, fuit ei benevolens, qui secundum spiritum erat ortus. an tu majores ullas inimicitias putas esse, quam contrarias hominum sententias, ac dissimilitudines studiorum ac voluntatum? electis igitur, sub ratione tritici donatis corona, benedicet Deus, cum, Angelorum atque hominum concione advocata, loquetur, *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi.* neque illud prætermittendum videtur, quod David, coronam sanctorum, coronam Dei benignitatis appellat, *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*, hoc est, coronæ eorum, qui, ex Dei benignitate ac munere, futuri sunt inter electos. nam, quod aliquis sit bonum semen, quod multum efferat, non est ipsius virium opus, sed divinæ largitatis munus. Alterum, quod sequitur, non tam animadvertendum est quam pertimescendum, non tam auribus accipiendum quam animo ac visceribus infigendum. nimirum, quod messis tempore, imperaturus sit messoribus, ut zizania seligant, ac seorsum à tritico statuant. quorum verborum sententiam si quis minus assequitur, eam ex Christi interpretatione percipiat; qui statim subjicit, *Et separabit malos de medio justorum.* ô sejunctionem, ô distractionem miseram! quid sibi mali peccator non pertimescat, à bonorum societate disjunctus? expectat Deus ab aliquo fructum pietatis,

continentiæ, atque justitiæ; sed frustra: ac nihilo eum magis evellit, exstirpat, sed suffert, patitur in ecclesia, velut in agro, radices habere una cum justis; tum eodem, quo eos, cælesti rore perfundit, iisdem imbribus irrigat, eisdem radiis illustrat: at ille, spem mentitus, contraria virtutibus vitia largitur. quid ergo? justa elatus iracundia Deus, eundem radicitus exstirpare constituit, ac, ne ejus supplicio bonis noceatur, vel potius ne, bonorum societate tanquam vallo munitus, divinæ ipsius severitati eripiatur, abripit eum de medio justorum, atque illuc abstrahit, ubi nullius præsidio tectus, totus divinæ iracundiæ fluctibus objiciatur. unus nimirum Loth obstabat, quo minus, nefarios illos homines, Deus, una cum eorum urbibus, igni deleret. quod si viri unius sanctitas tam multis improbis pro muro erat, ne internecioni darentur, quid multos probos uni improbo prodesse existimamus? quæ arx, qui locus, ita natura vel manu munitus, reperitur, qui cum ejusmodi præsidiis æquari conferrique posse videatur? Sed operæ pretium est, Christi verba diligenter attendere. *Separabunt*, inquit, *malos de medio justorum*. quibus verbis duo significari videntur. primum, improbos, quoad bonis permisti sunt, Deo sanctos & inviolatos esse; tum eos, à bonis, quasi circumdari, & tanquam vallo ac fossa muniri. at, cui mirum atque adeo incredibile non videatur, quod ait, malos à bonis includi ac circumsepiri? quis nesciat, stultorum, hoc est improborum, numerum, si cum bonis conferatur, infinitum haberi? quomodo ergo infinita hominum vis à paucioribus contineri intelligetur? sed plane est ita, ut ex Christi dicto colligitur. omnium sacrarum litterarum monumenta percurre; fere semper invenies, paucorum justorum patrocinio populos & nationes integras animadversioni divinæ fuisse præreptas, non aliam ob causam, nisi quia ab illis circumseptæ defendebantur. at boni illi erant pauci, improbi innumerabiles. esto. Loth, quem paulo ante commemoravimus, unus erat; & tamen, sceleratissimis illis hominibus immistus, velut murus quidam æneus, omnes ab eis, Dei vehementer irati, impetus propulsabat removebatque. qui Deus, cum jam deliberasset, nefariam illorum hominum improbitatem

pœna

pœna ſupplicioque conſtringere, juſſit eum Sodoma excedere, vetuit, abeuntem, ad eam reſpicere. quod cum faceret, dimittebatne ſuo è complexu malos, quos relinquebat? quomodo unus numero poterat quinque celeberrimas urbes gremio complecti? ipſe potius ab earum civibus circumveniretur atque adeo obrueretur. ſed incredibilis eſt vis probitatis, quæ in paucis, &, quod mirabilius eſt, in uno conſiſtens, ita ſe diffundit ac profert, ut prope innumerabiles amplectatur ac protegat. qui igitur bonorum ſocietate munitur, primum, ex eorum propinquitate uſuque nonnihil ad virtutem probitatemque proficiat, tum arctius ſe illis implicet conglutinetque ſimilitudine ſtudiorum ac voluntatum, ne poſtea ab illis, diſſimilis inventus, divellatur, diſtrahatur, atque, in faſciculos coactus, æternis ignibus tradatur. Me miſerum, cui jam tot menſes tam magnus tecum uſus conſuetudoque intercedit, nec licet, ex tua illa indole, quidquam arripere! hoc accidit, quod improbitas meum in animum radices altius immiſit, quam ut multorum menſium, atque adeo annorum, ſtudio atque labore poſſit evelli. Deum rogabo, ut nunquam me à latere tuo divellas; quo ſaltem tibi proximus, ſive potius tuis amplexibus circumvallatus, Dei à me iram avertam. id quoque tu mihi, ſi tibi in amore ſum, tuis à Deo precibus impetra. Vale. IV Non. Februarii CIↃ IↃC XXXVII.

XVII.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM.

TEmporis anguſtiis premor. itaque, ne largius promiſiſſe videar quam præſtare poſſim, cogor eſſe brevior quam cogitaveram, quamque rei, de qua ſcripturus ſum, gravitas poſtulet. nam granum ſinapis, cujus à Christo regnum cælorum ſimile eſſe dicitur, quantam in ſe divinorum myſteriorum vim continet, quamvis ſit puſillum ac tenue! & ſane mirum videri debeat, rem tam amplam, tam ingentem, cujuſmodi eſt Regnum cælorum, cum ſemine omnium minimo, in com-

paratione conjungi.. verum, quod ad similitudines attinet, nihil est quod rebus, à nobis ad explicandum propositis, plus luminis afferat, quam in id, quod loquimur, breviter atque apte, rei cujuspiam, translata similitudo. ita enim fit, ut res, non audiri sed cerni, non narrari sed in oculis defigi, videatur. at, ex omnibus similitudinibus, eæ in primis excellunt, quæ ex rebus nobis plane perspectis notisque ducuntur. facilius enim, ad ea, quæ visa, quam ad ea quæ audita, mentis oculi feruntur. qua in re, Christi Domini cælestis magistri sapientiam licet admirari, qui ad res divinas, atque ab hominum intelligentia remotissimas, explicandas, similitudines earum rerum adhibuit, quas frequentius communis hominum victus usurpat. quo fit ut nemo adeo sit in excogitando hebes ac tardus, quin, earum similitudinum auxilio sublevatus, Regni cælestis mysteria complecti intelligentia possit. quis est adeo omnium rerum rudis, cujus notitiam granum sinapis, ejusque vis ac potestas, effugiat? quæ nam res frequentius, multitudinis manibus, pertractatur, quam fermentum? quid nam magis, omnium fere populorum usu, conficitur, quam panis, fermento subactus? atqui, per hæc omnia, adeo vitæ spiritualis ortum, incrementum, ejus denique absolutionem perfectionemque, descripsit, ut ne penicillo quidem aptius referri ejus species possit. Atque, ut in hoc simili versemur, quo Christus primum est usus, nulla res, tam potuit spiritualis vitæ rationem, quam granum sinapis, exprimere. nam, quemadmodum sinapis, cum excrevit, arboris instar habere, inter minora olera, videtur; ita etiam, spiritualis vita, ab humili ducta, ita venit ad summum, ut super animam justi, non aves cæli modo, hoc est Angeli, sed requiescat etiam spiritus Domini. multa licet, in ecclesiæ agro, hujus sinapis germina cernere; sed nullum se altius effert, quam Dominus Iesus, in quo si formam servi quam induit, si cruciatus quos pertulit, si Crucem quam subiit, aspicias, exiguitatem grani sinapis agnoscas; si ejusdem de morte triumphum, si ingressum in cælum, si omnem plenitudinem divinitatis, sitam in eo corporaliter, videas, sinapis viriditatem, ad summam altitudinem se efferentem, admireris. Francisci paupertas & humilitas parvum

eum

eum tibi & contemtibilem reddet, ingentes ejus virtutes & gloria, qua fruitur, magnum ac Deo proximum refert. sancti martyres, secti, angustiati, afflicti, ita parvi atque humiles exstant, ut vix appareant; iidem vero, in cælum excepti, triumphali laurea donati, immortalibus præmiis ornati, ita caput attollunt, ut, veluti procerrimæ arbores, ac patulis diffusæ ramis, omnes nos mortales, sub ipsorum tutela, tanquam sub umbra, contineant. Vtrum autem nos ad sinapin pertineamus an non, nihil tam dijudicaverit, quam similitudo dissimilitudoque cum iis, quos antea enumeravimus, ac præsertim, cum Christo. nam, si quis ab eo in omni vita dissentiat, perspicuum est, ipsum ad aliud longe diversum semen pertinere, ac proinde diversum à sinapi exitum habiturum. non potest unius generis semen sibi ipsi contrarium esse, non potest in alterius seminis naturam proprietatemque transire, sed necesse est, ut ubique ea sui semper similis inveniatur. Ac primum, granum sinapis à reliquis seminibus exiguitate distinguitur. mei igitur moduli ratio atque mensura mihi indicare, qualis sim, potest. nam si magnos si ingentes spiritus habeo, si aliis subjici ægre fero, profecto stulta hæc elatio, me in ejus forma non includi, coarguit. si vero, humilis, demissus, præfero me nemini, si non ambulo in magnis neque in mirabilibus super me, tum, quod ad parvitatem attinet, à grano sinapis non multum abhorreo. deinde, ad exiguitatem quædam quasi obscuritas & livor accedit, seminis humilitati non incongruus color. quorsum id spectat? nimirum eo, ut, qui, ob animi demissionem, quodammodo in exiguitatem sinapis sese contraxerit, ejus etiam colorem atque habitum imitetur. hic autem color, est quidam quasi livor in anima, ex perpetua injuriarum malorumque omnium perpessione profectus. non potest, qui se omnibus submittit ac subjicit, non multorum injuriis, quasi pedibus, conculcari; unde livor, quem dixi, contrahitur. deinde, quem ob animi demissionem in obscuro versari delectat, quis nam alius deceat color, præter hunc fuscum & nigrum? hoc colore ille perfusus est totus, *cujus livore sanati sumus.* nam *cum in forma Dei esset*, *formam servi accepit*, &, cum injuriis omnibus premeretur, ita patrem

affatus est, *Miserere mihi Domine, quoniam conculcavit me homo.* at, qui alium sibi fucum illinit, hoc est, qui ab aliis laudari, qui conspici postulat, hic, si ad sinapin spectare se dicat, si humilitatis studia vigere apud se prædicet, facile, ex coloris dissimilitudine, mendacii ac levitatis arguitur. Etenim, quid nam est tam contrarium contumeliæ, quam honor? quid nam tenebris tam inimicum quam splendor? at, qui gloriolam inhiat, qui hominum studia sectatur, quid nam ostendit, nisi, se nolle deprimi, sed extolli? quid nam clamat, nisi, se nolle collocari in obscuro, sed palam in luce constitui? neque alio argumento Christus Dominus, Pharisæos non esse inter sinapin numerandos, ostendit, nisi ex coloris dissimilitudine varietateque. nam & cunctis præesse & ab omnibus coli quærebant. *amant*, inquit, *primos recubitus in cænis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* quid igitur ex his confici atque esse consequens ait? nimirum id, quod diximus; non esse eos ex sinapi ortos, sed ex alio longe diverso semine procreatos. non ex me, inquit, prodiistis, cum adeo humilitatis studia apud vos jaceant, sed ex patre diabolo estis; quem, crudelitate atque superbia eidem simillimi, egregie ex omni parte refertis. Postremo sinapis adeo tunsionibus ac pressuris non evanescit, ut non alias magis vim suam ostendat, quam cum pinsitur, vel contrita dentibus manditur. nam per nares in caput influit, lacrimas ab oculis exprimit, palatum ac linguam acri morsu pervellit. quanta in Christo vis & acrimonia contineretur, nonne tum maxime patuit, cum vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostrá? ô summam Crucis Christi virtutem! qui antea eum contemserant, oderant, comprehenderant, cruci affixerant, adeo ejus supplicio ac morte commoti sunt, ut reverterentur, percutientes pectora sua, & dicentes, *Vere hic filius Dei erat.* nimirum, verbera, flagella, vulnera, clavi, eum à Christo divinitatis velut odorem excitarunt, & multorum sensibus infuderunt, quem nec divini illi sermones, quos habuerat, neque res magnæ atque admirabiles quas patraverat, elicuerunt: verum erat granum sinapis, quæ tum maxime se manifestat ac prodit,

prodit, cum frangitur ac comminuitur. quam iniqui sunt adversus se ipsos ii, qui calamitates, injurias, atque omnes res adversas tantopere detestantur atque horrent! hi enim tum sibi tum aliis noti esse refugiunt, adversus egregium illud sapientis præceptum, *Nosce te ipsum.* quomodo potes scire, quid possis contra dolorem, si ab eo semper intactus relinqueris? unde intelligas, utrum iniquum an æquum adversus injurias animum geras, si inter honores plaususque consenescis? egone illi sinapis vim dederim, quem adversa re nulla atteri contigit? sola calamitas, virtutis cujusque periculum facit, sola declarat quantum unusquisque possit ac valeat. hinc est, quod non parum multi, cessantes ac prope dormientes calamitatum occasiones, ultro commoverint, excitaverint, in se venire compulerint. nam alii tyrannos adierunt, ac se Christianos professi, eorundem iracundiæ tempestatem subire non dubitarunt; alii, repudiatis divitiis, toto impetu, ad egestatis terminos se compulerunt; multi, quibus liceret, in summo otio ac voluptate, in patria vivere, Christi nominis proferendi gratia, usque ad extremos Indos penetrarunt, ibique summis in laboribus ærumnisque, miseram atque inopem vitam, ad extremum usque spiritum, perduxerunt; sinapis usquequaque simillimi; cujus ea est natura in primis, ut vim suam in alios effundat. atqui hos sibi Deus postulat, hos quærit, hos diligit, qui virtutem, qua præstant, non in sese contineant, sed proferant, sed cum aliis communicent. vult quidem Deus, nos esse parvos ob animi demissionem, sed simul magnos ob virtutem; vult quidem nos pedibus aliorum fastigia summittere, sed simul efficere, ut oculi, prætereuntium ac conculcantium nos, ob pœnitentiam, exstillent. Sed, inquies, quid minimis istis erit? num suo se semper modulo continebunt? num omnium semper pedibus conterentur? num omnium semper irrisione ludentur? minime. nam demum extra exiguitatem suam egressi, magni atque admirabiles apparebunt, iis præsertim quibus deridiculo fuere, qui, ex ingenti eorum gloria, ira atque admiratione percussi, & *præ angustia spiritus gementes*, Nonne sunt, inquient, isti, *quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii?* quamobrem, cum video, probos

& honestos viros, præter ipsorum meritum, contemni ac despici, ita soleo cum illis agere: Pusillus grex, quum laboribus, ærumnis, miseriis exercemini, quum injuriis oneramini, illud vobis veniat in mentem, quod *complacuit Patri vestro, dare vobis Regnum*; hoc est, quod infra vestrum fastigium habituri sitis eos, qui vos contemnunt, lacerant, vexant, hæredes cæli, *cohæredes Christi*, quem oportet regnare, *donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum.* Magnam habeo Vincentio Guinisio gratiam, qui, cum constituisset, hodie se ad me venturum, non venit. interea ego, ne otiosus domi sederem, binas has litteras, heri vesperi inchoatas, absolvi. Cura ut valeas. IV Non. Februarii CIↃ IↃC XXXVII.

XVIII.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

QVanta est, Hugo mi, inter Deum & mundum dissimilitudo studiorum ac voluntatum! quo tempore mundus hilaritati lætitiæque operam dat, Deus mœrorem & luctum indicit. quo tempore mundus conviviis, ludis, diurnis ac nocturnis bacchationibus studet, Deus, gemitibus mortis ac doloribus inferni tanquam circumseptos esse debere nos, admonet. quo tempore mundus, ad oculorum voluptatem, cursorum ludos exhibet, Deus ad animarum salutem nos, proposito æternæ vitæ præmio, ad ineundum ac fortiter decurrendum iter, quod ducit ad cælum, invitat. etenim Apostolus Paulus, *Nescitis*, inquit, *quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium; sic currite, ut comprehendatis.* Quibus verbis Apostolus Corinthios inertiæ desidiæque coarguit, sui eos officii graviter admonet; lepida atque eleganti similitudine, & ad id, quod demonstrandum est, apta, nos edocet, mortalis hujus vitæ spacium, stadii cujusdam instar habere, nos, qui in eo versamur, cursorum numero censeri, cælestem patriam, quo tendimus, metæ similitudinem gerere, æternam beatitudinem, quæ futura est præmium meritorum, cujusque appetentissimi sumus, cum palma atque corona in compa-

ratione

ratione conjungi; tum subjicit, quibus moribus, ad veterum cursorum exemplum, præditos nos esse oporteat, nimirum optimis atque sanctissimis. verum, quo aliquis litterarum nostrarum fructus & utilitas constet, omissis ceteris, illa quatuor explicabimus, quæ in veteribus cursoribus præsertim admirationem & laudem habent; quæ quidem, vereor, nè, ob nostram socordiam atque nequitiam, deterrendi potius quam cohortandi, retinendi quam impellendi, vim habeant; sed nihilominus præstanda sunt ab eis, qui, relictis ceteris studiis, in hoc uno opere dies noctesque versantur, ut cælestis regni coronam obtineant. Ac primum in eo, qui descendebat in stadium, incredibilis quædam abstinentia suscipiebatur. nam, quo vires integras in cursum afferret, nihil ille genio indulgebat, non Veneri studebat, non vino se atque epulis dabat, sed eatenus cibo ac potione utebatur, quoad vires reficerentur, non autem opprimerentur; uno verbo, ab omnibus, ut inquit Apostolus, se abstinebat. Cum Apostolo congruit Horatius, qui in epistola, quam ad Pisones de arte poëtica scripsit, istuc idem eleganter complexus est versibus:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & vino.

Eadem patientia, eadem abstinentia, necessaria illi est, qui rectum habet cursum in cælum; videlicet, ut omnium rerum cupiditates ex animo evellat, omnes labores, quantumvis graves, leves existimet; siquidem ille de quo diximus, cujus in nobis imago exprimenda est, non unam tantum voluptatem prætermittebat, alteri se dabat, sed æque omnes contemnebat, non unum genus laboris ac molestiæ amplectebatur, alterum repudiabat, sed æque in omnibus forticulum sese præbebat. num, quia abstinebat vino, erat præceps in Venerem, aut, quia libidines continebat, vini cupiditatem liberam habebat? num, quia solem ferre poterat, frigori succumbebat, aut, quia frigoris erat patiens, solis formidabat ardores? at, in utroque abstinentiæ ac patientiæ genere, laboravit ac præstitit. ita nos etiam nullis debemus libidinibus constringendos nos tradere, nullis laboribus superandos objicere.

nam,

nam, si in una cupiditate abstinentes, in altera effusi simus, in uno genere doloris fortes, in altero molles inveniamur, omnis nostra contentio in medio spatio frangetur & corruet, &, antequam nos commovere conemur, jam alter palmam accipiet. quæ intemperantia atque mollities animi eo intolerabilior ac supplicio dignior Apostolo videtur, quod ii, qui in stadio se exercent, corruptibilis coronæ studio adducti, nullius se voluptatis compotes efficiunt, nullis sese laboribus eximunt; nos vero, tanto proposito præmio, cujusmodi est æterna felicitas, à nobis impetrare non possumus, ut cupiditates nostras teneamus, ut laboribus corpus exerceamus. ideo illi, ut Salvator noster inquit, *exsurgent in judicio*, *cum generatione ista*, & condemnabunt eam; hoc est, in extremo judicio nos oppugnabunt, atque omnem nostram defensionem evertent. nam, quid defendemus? quid afferemus, cur, præmiis cælestibus invitati, castitatem non coluerimus? num ætatis excusatione, num corporis contagione, maxima & innumerabilia flagitia deprecabimur? at excitabit Deus non parum multos adolescentes, iisdem quibus nos corporibus præditos, qui, hoc perfugio nos uti, non sinent, qui dicent, se, inanis gloriolæ spe illectos, potuisse sibi præcidere omnem licentiam libertatemque vivendi. ideo illi judices adversus nos erunt. sed pergamus ad reliqua. Deinde, qui se parat ad cursum, quò expeditior ac levior ceteros in cursu prætereat, quamvis hieme summa, tempestate perfrigida, imbribus maximis, sibi pallium adimit, tunicam exuit, tibialia, femoralia, calceos abjicit. eodem pacto, qui hoc spirituale curriculum ingreditur, vestes deponat necesse est; videlicet pecuniæ studium abjiciat, honorum cupiditatem expellat, omnium terrenarum rerum affectus ex animo evellat. quod si quis, non suis solum rebus onustus & gravis, sed bonis etiam aliunde ereptis oneratus, curriculo ad cælum contendere postulet, hic prorsus insanit. etenim, non modo palmam non accipiet, sed vix è carceribus exibit, cum sub onere oppressus occumbet. sed quid adhuc externis exemplis utimur, quum domesticis ac præstantissimis abundemus? at, quia longum esset omnes afferre, uno in præsentia contenti erimus. converte

oculos

oculos in eum, qui *exultavit ut gigas ad currendam viam*, atque eum tibi viæ ducem elige, ac suis eum vestigiis persequere. quid ille fecit? quid docuit? num se divitiis refersit? num voluptatibus saginavit? num honoribus saturavit? nihil minus; immo, pauperiem divitiis, cruciatus voluptatibus, contumelias honoribus, prætulit; denique, ab omnibus rebus nudus, commissum ac traditum sibi vitæ cursum, strenue fortiterque confecit. hic, inquam, imitandus est, hic præ oculis habendus, hic audiendus; qui sic aget, sic loquetur: Quid tibi opus est vestibus, cum me, nudum in crucem sublatum, aspicias? quid opus est vestibus, longis præsertim, cum iter, quod decurrendum est, madidum sit, lubricum, ac luto cœnoque corruptum, cumque cum eo luctandum sit luto, quod ad fallenda vestigia ingredientibus cedit? Tertio, qui se cursui tradidit, post tergum non respicit; nam, quævis corporis vel oris conversio, impetus currentis retardat, ac vix sine casu ac prolapsione contingit. ita etiam, qui recto ac celeri cursu contendit in cælum, si ad ea, quæ reliquerit, oculos animumque convertat, hic se ipse morabitur, atque etiam gravi ad terram casu affliget, hoc est, rursus ad veteris consuetudinem vitæ relabetur; cum diserte Salvator noster edixerit, eos, qui respiciunt retro, aptos non esse ad regnum Dei. Postremo, qui est in cursu, neque ad lævam neque ad dexteram oculos flectit, nullius rei pulchritudine vel splendore delectatus consistit, sed pergit, advolat, quemcunque obvium habet, aut capite aut pectore aut cubito offendit aut genu. ego ne eum dixerim, toto, ut ajunt, pectore, in hunc cursum incumbere, eum ne crediderim, maximis itineribus in cælum contendere, quem avaritia ab incepto cursu ad prædam aliquam revocaverit, quem libido ad voluptatem, quem amœnitas ad delectationem, quem honoris splendor ad ambitionem, quem denique labor ad quietem, postremo, auri & argenti massæ ad explendam divitiarum sitim, attraxerit? quod si potest intelligi, quemquam currere qui se loco non moveat, aut certaminis cujusquam palmam & coronam accepturum qui, ceteris exercentibus, otiosus in herba recumbat, nihil erit in me moræ, quo minus illum quoque fatear, grallatorio, ut dicitur,

dicitur, gradu, in cælum properare, ac multis superiorem in cursu futurum. Existit, ex hoc loco, quæstio subdifficilis. nam, quid est quod dicit Apostolus, omnes quidem currere, sed unum tantum bravium accipere? numne ad unum tantum certaminis palma perveniet? ergo reliqui à corona excludentur? ergo, qui prior ceteris antecesserit, non solum postremis, verum etiam secundis ac tertiis, spem palmæ & coronæ præripiet? at, id non est, animos hominum erigere sed prosternere, non est spes eorum confirmare sed infringere, non est studia inflammare sed exstinguere. quis enim inducat animum, in hoc cursu omnes nervos ætatis industriæque suæ contendere, in quo unus tantum corona donandus sit, ceteri sine præmio dimittendi? at Io. Chrysostomus, doctor singularis, non id dictum esse ait ab Apostolo, ut animos hominum desperatione debilitaret, aut de spe cælestis regni dejiceret, sed ut studium ac diligentiam exprimeret, qua in id opus incumbamus. perinde enim unusquisque in hoc certamine desudet oportet, quasi uni tantum palma deferenda sit, non autem pluribus. ita enim nulli neque operi neque labori parcet, sed tantum, quantum potest, & quantum audet, in eo contendet, ut ceteris, bonorum operum magnitudine numeroque præcurrat. quamobrem Apostolus, quod dixit, conclusit ac peroravit his verbis, *Sic currite, ut comprehendatis.* videlicet, ô vir Christiane, cui æternæ felicitatis corona promittitur, fac, aures vacuas habeas, ut in animum, quæ dicam, immittant; non ea quiescentibus, non dormientibus, non stantibus datur, sed vigilantibus, sed laborantibus, sed currentibus tribuitur; proinde, si dormis expergiscere, si stas ingredere, si ingrederis curre, si curris advola; spatium est exiguum, tempus breve, præmium immensum, infinitum; damnum irreparabile, æternum. Vale. III Non. Februarii CIↃ IↃC XXXVII.

XIX.

Simile est regnum cælorum patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam; conventione autem facta ex denario diurno cum operariis suis, misit eos in vineam

vineam suam. Si denarius hic, operis, à patre familias conductis, persolutus, mercedem felicitatis æternæ designat; nullum videtur ostendere in cælo esse discrimen, neque meritorum neque præmiorum. nam, si tantundem acceperunt ii, qui totum diem opus ruri fecerunt, quantum qui horam in eo unam desudaverunt; ut recte similitudines congruant, dicendum est, præmiis cælestibus æque eos ornari, qui ætatem integram in virtute consumserint, atque ii qui vix extremam partem cum ejusdem virtutis laude traduxerint. qua in re Stoicorum opinio comprobata à Christo videtur, qui omnia inter se merita, quemadmodum etiam peccata, paria esse docebant, neque melius de Rep. mereri, qui obsidioni, incendio, ac servituti patriam eripuisset, quam qui civem unum servasset. quæ doctrina non tam rejicienda videtur quia falsa est, quam quia Christianorum profectui plurimum obest. facile enim, per hanc rationem, multi ad aliquam ignaviam desidiamque labentur, qui stultum esse putabunt, repudiatis vitæ commodis, ac, permissis voluptatibus necessitati & naturæ denegatis, in summa egestate summisque laboribus vitam exigere, si nihilo beatiores futuri sunt iis, qui suum nunquam genium defraudaverint. neque confugiendum est eo, ut dicamus, denarii diurni similitudine explicari divinam essentiam, quæ beatis omnibus communis est ad videndum contemplandumque, non autem ea significari, quæ, pro ratione meritorum, præterea unicuique redduntur. nam, quid erat, quod primi quererentur, se, in mercede recipienda, postremis æquari, si cumulatiore mensura recepturi erant mercedem ac præmia? simul illud nobis eripitur, ut dicamus, postremos, unius horæ curriculo, tantum fecisse operis, quantum alii, vix die integro, assecuti essent. nam si ita esset, cur pater familias bonitati suæ adscriberet, quod pares eos in mercede fecisset, si id eorum meritis jure debebatur? ideo enim, inquit, hoc mihi licet facere, quia ego bonus sum. verum, quo huic quæstioni respondeamus, illud præmittendum est, magnum inter beatos fore beatitudinis gloriæque discrimen; ita enim à fide catholica, à qua impium est dissentire, docemur; qui beati, ut Paulus inquit Apostolus, perinde inter se differunt,

rent, ut ſtella differt à ſtella, quarum alia alii, lumine, ſplendore, ac magnitudine, multis partibus antecedit. *ſicut enim ſtella differt à ſtella in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* atque veritas hæc, multis ſacrarum litterarum locis innititur, quæ longum eſſet omnia referre. ſed non arbitror diſcedendum ab autoritate hujus patris familias, qui operarios ſuos hodie cum pari mercede dimittit. nam cum aſſerit, apud Ioannem, in domo patris ſui manſiones multas exiſtere, & apud Matthæum, alios aliis honoratiores futuros in cælo, quid nam aliud docet, niſi, in illis beatiſſimis ſedibus eſſe diſtinctiones, & quaſi gradus, felicitatis & præmii? deinde, cum eadem fides doceat, pro meritis cujuſque, in cælo præmia diſtribui, nonne, ſi merita ſint inæqualia, etiam inæqualem eſſe mercedem oporteat? His itaque fixis atque ſtatutis, ad hujus parabolæ explicationem quod attinet, placet mihi vehementer Io. Chryſoſtomus, qui, non eſſe, ait, neceſſe, ſimile aliquod ad id, cui adhibetur, omni ex parte quadrare, ſed ſolum ſufficere, ut in eo reſpondeat, cujus explicandi gratia ſuſcipitur. ſi hæc eſt vis hujus parabolæ, ut intelligamus, non nullos, qui, admodum ſero à Chriſto vocati, rectam vitæ viam ſequuntur, ſtudio & aſſiduitate, eorum aſſequi laudem, qui ab ineunte ætate eundem ingreſſi ſunt curſum, cum id optime explicet, non eſt laborandum, ſi cetera non ita apte reſpondeant. quamobrem, ſi ſcopus hujus parabolæ hic eſt, ut eorum nobis ſolertiam diligentiamque ſubjiciat, qua iis, qui tanto ante vocati fuerunt, pares exſtiterunt, ſatis reſponſum iis video, qui aliquam exinde languoris deſidiæque anſam ſibi eſſe oblatam exiſtimant; immo, ſi recte animadvertere voluerint, magnos ſibi hinc ad virtutem ſtimulos addi percipient. quid enim eos, qui ſunt in curſu, acrius impellit, quam metus, ne poſtremi cujuſpiam impetu conatuque prætereantur? at, inquiet aliquis, ex hoc exemplo, video mihi licere converſionem meam in horam undecimam, nimirum in ſenectutis tempus, rejicere; nam, cur tunc temporis minus mihi præſto futura ſit humanitas ac benignitas hujus optimi patris familias, quam iis quos, extrema ejus diei hora, non eſt paſſus à ſe invocatos abire? ergo, quod ex ſingulari Dei benignitate paucis contingit,

id tu

id tu commune omnibus facis? quod meræ liberalitatis est, id tu, tanquam debitum, exigis? vide obsecro, ne tu gratis totam hanc tibi spem fiduciamque conflaveris. ego, neque hic tale aliquid promitti, neque ullos ejus rei prædes aut obsides dari, comperio. id equidem lego, adeo novum, adeo admirabile, visum esse omnibus, ut aliqui ea hora vocarentur, & una cum ceteris præmio afficerentur, ut, ad ingentem admirationem elati, obstupescerent. id enim significat verbum illud, *murmurabant*; hoc est, admiratione efferebantur. neque enim invidia, aut aliqua alia perturbatione, beatorum animi permoventur. sed fac, te ea hora vocari, fac etiam id quod est admirabilius, te patrem familias vocantem sequi, cur, si post mortem pro meritis præmia largitur, non ire celeriter properas? cur non interea multis magnisque virtutibus locupletem animum facis, quo mercedem cumulatiorem accipias? neque audiendi sunt ii, qui satis sibi esse ajunt, in cælum ascendere, de præmio autem, quale illud sit futurum, se nihil esse solicitos. quis enim, si hîc regnum obtinere possit, malit inter plebeculam numerari? & quia, ad rationem modumque stellarum, sancti in cælo fulgebunt, cur ego, si solis magnitudini atque splendori par esse possim, tenue minutiorum astrorum lumen parvitatemque consector? verum, quis scit, te, ea ætate qua pluribus & arctioribus peccatorum laqueis implicaberis, eo te confestim iturum, quo Deus invitet, si nunc longe expeditior venire contemnis? neque te decipiat felix eorum eventus, de quibus in hoc Euangelio narratur. nam dissimilis eorum est ratio. primum, nusquam eos legimus fuisse antea vocatos; tu vero omnibus horis invitatus, rogatus, impulsus, nondum adigi potes ut surgas. illi otii tantum insimulabantur; *Quid hic statis tota die otiosi?* tu, multorum scelerum conscientia evictus, peccata peccatis adjicis, & speras, hac contumacia, tibi faciliores ad divinam misericordiam aditus fore? immo, si pergis insanire, eos in perpetuum obstructos atque interclusos invenies. Verum, ne quis tantos, ex hac interpretatione, ad inanem fiduciam spiritus sumat, præcludunt ejus fauces Iansenius & cum eo non parum multi; qui negant, esse Christi consilium, hoc loco de cælestibus præ-

miis quidquam decernere; sed ajunt, signa tantum & notas afferri, quibus reprobi ab electis dignoscantur; quæ notæ iis verbis continentur, quibus hæc parabola peroratur atque concluditur: *Et erunt primi novissimi, & novissimi primi; multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* videlicet reproborum ea esse signa commemorantur, quod primum apud homines locum obtineant; electorum autem, quod inter postremos numerentur. quamobrem Isaias Christum, caput electorum, *despectum*, & *novissimum virorum*, appellat. *erunt* igitur *primi novissimi, & novissimi primi*. primos dixit, non re ipsa sed opinione hominum primos; sicut sunt potentes, dites, fortunati ac nobiles. hi enim, si, quemadmodum superiores sunt opibus, ita etiam erunt sceleribus principes, justo Dei judicio, damnati, infra omnes homines rejicientur; qui vero ob inopiam & paupertatem, ne in hominum quidem numero habentur, si æquo, si forti, si patienti animo fuerint, ab ea humilitate abrepti, ad summum filiorum Dei locum fastigiumque ferentur. quamobrem, non est quod quisquam, ex hac parabola, ad stultam & inanem aliquam securitatem deveniat; sed, si opibus ac divitiis præstet, si honoribus ac dignitatibus polleat, vehementer metuat, ne, sceleribus ac flagitiis inquinatus, à primis hominum ordinibus, ad infimas immundorum spirituum sedes ac loca detrudatur, denique, ne dignitates divitiæque sint in ipso notæ ac signa damnationis æternæ. Postremo, non desunt, qui parabolam istam de hominibus novi ac veteris testamenti interpretentur. & sane, si eorum, qui sub lege erant, conditionem intueamur, inveniemus, eos portasse pondus diei & æstus. nam, & eo jugo premebantur, quod nec ipsi nec patres eorum ferre potuerant, atque eo Christi Salvatoris nostri desiderio torquebantur, ut mori viderentur. itaque iniquo animo ferunt, queruntur, clamant, eos sibi, in referenda laborum mercede, æquari, qui neque ullo laboris incommodo defatigati sint, neque aliquo desiderii igne flagraverint. neque mentiuntur in querendo. nam vere nobis, otiosis ac dormientibus, eorum laboris ac desiderii fructus obvenit. unde merito Christus nos, eo nomine, beatos appellat, quod ea oculis percipiamus, quæ non licuit

licuit aliis aspicere. *Beati*, inquit, *oculi qui vident, quæ vos videtis; dico enim vobis, quod multi Prophetæ ac reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt, & audire quæ vos auditis, & non audierunt.* verum, pater familias propè justam eorum querelam jugulat hac responsione, *Non licet mihi, quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* bonitate igitur sua Christus nos habuit eximios, & absque ullo nostro labore atque periculo, bonis, aliorum sudore partis, locupletavit & auxit. velle autem bonitatem istam, novorum scelerum ac peccatorum materiam habere, summæ iniquitatis est atque dementiæ; neque arbitror esse aliquid ultra, quo progredi ingrati animi vitium possit. Sed in hoc, opinor, omnis noster error versatur, quod hanc in eo patientiam bonitatemque perpetuam fore speramus. sed plane decipimur. faciamus ut veniat nobis in mentem, quod bonitas læsa prorumpat. veniet tempus, cum huic patientiæ ira furorque succedet. ergo, qui, admonitus, converti negligit, qui, vocatus, sequi recusat, caveat, ne demum, relictus, desertus, atque ab omni præsidio nudatus, justissimo ejus furori præda objiciatur. Vale. VIII Idus Februar. CIↃ IↃC XXXVII.

X X.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

TAm multa tibi, mi Hugo, sum pollicitus, ut, quo præstare omnia possim, diligenter mihi ratio habenda sit temporis. itaque nulla, ut fit, in principio harum litterarum, ostentatione utar, sed statim à re ipsa exordiar. *Exiit* igitur, *qui seminat, seminare semen suum, &, dum seminat, aliud cecidit super viam, & conculcatum est.* Vnus idemque erat ager, sed partes ejus variæ, longeque dissimili inter se natura disjunctæ; nam hîc lapis prominebat, illic spinæ rigebant, illic pinguis & præalta humus nitebat. Vna est Ecclesia, sed non undique perpetua & æquabili fertilitate conspicua. nam locis aliquot nitida, aliquot horrida, cernitur. cupis, de natura cujusque agri, de facie conjicere? ad fruges aspice. si un-

dique frequentes & confertæ occurrant, tum existima, omnes ejus partes in pari bonitatis laude versari; si eædem raræ dispersæque se offerant, dic, vel maciem vel saxa vel spinas seminibus jactis obesse. Ager, qui unicuique nostrum ad excolendum est traditus, anima nostra est, ad excipiendum divini verbi semen aptissima. quamobrem, in præsentia, de ea breviter hæc duo sunt quærenda. primum, quæ sit ejus bonitas & natura; tum, quæ ratio ejus excolendæ conserendæque tradatur. Atqui, ad primum quod attinet, quemadmodum nullus est ager, qui sit magis aptus ad satus accipiendos, quam qui est humilis & in convalles depressus, neque ex contrario, qui sit ei rei minus idoneus, quam editus ac montuosus; ita etiam ad fœcunditatem bonorum operum, nihil est animo humili demissoque præstantius, nihil elato superboque deterius. ac, ne posset indiligens aliquis vel elatus, causari improbitatem vel tumorem agri sibi commissi, dedit Deus unicuique, ad excolendum, terram bonam, ferentem omne germen, unumquodque in genere suo; hoc est, tradidit animam fertilem, si colatur, ac, ne infletur ac intumescat, in unaquaque re dependentem à Deo. ratio autem, cur valles magis quam montes in hac fertilitatis laude versentur, ea est, quia valles humoribus, unde præsertim fruges aluntur, abundant. cujus opis montes egentes sunt maxime. quin etiam, quidquid in ipsos imbrium deciderit, non retinent, sed in subjectos sibi campos infundunt, iisque eos opibus augent, quos à suo sibi fastigio rejiciunt. neque alia ratione humilis animus jactum in sese bonarum cogitationum semen, superbo, fidelius continet, & uberius alit, nisi quia cælestium gratiarum collectione, ex superborum acie, velut defluentium, exundat. mons erat ille, qui apud Lucam, glorians, sua merita efferebat, *Non sum sicut ceteri homines, injusti, raptores, adulteri.* vallis erat ille, qui, ex intimo cordis dolore, se indignum putabat, qui cælum aspiceret, ac Deum facere sibi propitium studebat, illis tam demissis tamque supplicibus verbis, *Domine, propitius esto mihi peccatori.* quid ergo ex tam diverso utriusque affectu consecutum est? illud profecto quod necesse erat; videlicet, ut, semper ad ima tendens cælestis gratiæ flumen, in humilem ac demis-

sum

ſum ab elato ſuperboque deflueret atque decurreret. etenim *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam, ab illo.* ad hæc, non ſolum, ob declivitatem, nullum fere montes in ſe humorem accipiunt, verum etiam, ob duritiem, à ſe repellunt rejiciuntque. nam robore, marmore, tophoque denſati, omnes ad ſe aquis aditus habent obſtructos. ſimilis quoque durities, ab elatorum cordibus, divinæ gratiæ imbres excludit; cum proprium ſit ſuperbiæ, animos efferre, atque inflexibili duritia prorſus obducere. *Et aliud cecidit ſupra petram, & natum exaruit; quia non habuit humorem.* cur ſemen, delapſum in petram, ſimul ut ortum eſt, occidit? quia ab humoris eſt ope deſertum. cur id, quod altum ac pingue ſolum excepit, cum decuno & cum centeſimo prodiit? quia humore non eguit. omnino, in loca humilia, aquarum fluenta delabuntur; quarum aquarum tanta vis eſt, ut ſit neceſſe collicias interponere, quæ eas in alia deducant. quæ nam vallis, Chriſto Domino altius, deſedit? qui, de humilitate præcipiens, ſe ipſum in exemplum adduxit. *Diſcite*, inquit, *à me, quia mitis ſum & humilis corde.* quid mirum eſt igitur, ſi tam multi in eum gratiarum imbres confluerent, ut etiam effluerent, & in alios deducerentur, uſque adeo, ut de plenitudine ejus omnes acciperent? ſed non ſatis eſt terræ bonitas, ad fertilitatem, niſi etiam agricolæ labor & ſtudium accedat. neque mirum; perinde illis accidit, ut ceteris fere rebus, quibus plus prodeſt ſtudium ſine natura, quam natura ſine ſtudio. quo circa nullus ager, quamvis fertilis, fructuoſus exiſtet, ſi deſeratur à cultura; quin etiam, ſpinarum immanitate, celeriter efferabitur: ſimili ratione, tolle ab animo culturam, tolle ſtudium ac diligentiam, ſimul etiam ſpem omnem ubertatis abſtuleris; neque quidquam ex eo metes, niſi ſpinas ac tribulos. quemadmodum autem arva ſeminalia præparentur ad ſatus accipiendos, ut, ſubjectis ignibus, ad filices aliaſque herbarum peſtes exſtinguendas, urantur, ut molliantur, arentur, iterentur, ut, primo rectis, mox & obliquis ſulcis, ſubigantur, norunt ii, qui agriculturæ peritia callent: ſed ſunt, quæ in cultione animæ ad eorum exemplum ſimilitudinemque ſerventur; videlicet, ut antea obortæ atque adultæ peccatorum ac pravarum

 cogita-

cogitationum spinæ, caritatis igne, tollantur, ut pectoris duritia, timoris Dei gladio, scindatur, ut iterum ac sæpius aratro pœnitentiæ subvertatur. nempe, animæ suæ agrum iterabat ille, qui ex intimo cordis affectu clamabat, *Amplius lava me Domine*, amplius munda me Domine. his rite peractis atque servatis, tuto animæ, virtutum semina, committuntur. ita enim, magna cum usura, quod in ea severis, feres. Quæ hactenus de agrorum cultura diximus, recte omnia animarum cultioni conveniunt. sunt alia ita rei cujusque propria, ut in alteram transferri non possint. nam in agro, neque valles in montes extolluntur, neque montes in valles abscedunt: at animus, qui, per superbiam, cujusvis montis fastigium excessit, potest, per humilitatem, si velit, infra omnes valles sese submittere; immo, nisi sponte se ipse depresserit, ingratiis deprimetur tamen; tum nimirum, cum, ex prædictione Isaiæ, *omnis collis humiliabitur, & omnis vallis implebitur*. sed scitum est, rem conferre in tempus, cum id ei gratum atque utile esse possit. tempus autem, huic rei opportunum, illud est, quo vivimus. etenim nunc, animos submittentes, cum fructu compendioque imitabimur agros fertiles, qui multo plus reddunt, quam acceperunt. deinde in una re animus agro longe deterior invenitur; nam ager semper reddit, quod accepit; at noster animus, plerunque aliud longe diversum ab eo, quod in ipso satum est, effert. proditum memoriæ ac litteris est, in arboribus nata esse frumenta; at, nisi fabulosum est, semel id ex omnium seculorum memoria contigit. audivimus etiam, hordeum in avenam degenerasse; at id rarissimum est, & monstri simile, cum accidit. solus animus frequentissime semini, quod accepit, aliena producit. longum est, & non necessarium, in hanc rem exempla proferre. repetat unusquisque cum animo suo, num bona, quæ accepit à Deo, in ejusdem contumeliam aliquando convertat; num opes, honores, divitias, instrumenta superbiæ, ambitionis, ac libidinis habeat. at, si id committat, sciat, se bona semina corrumpere, ac vitia pro virtutibus reddere. deinde, nullus est ager, ita miser, ita jejunus, qui, nisi quid extrinsecus accidat, non cum aliqua saltem usura reddat quod accepit; solus animus, non parum sæpe,
quod

quod sibi commissum est semen, otiosum includit. potest esse exemplo ille servus, qui traditum sibi talentum defoderat, nec in fœnore collocaverat; quod summæ eidem fraudi fuit. omnino id à nobis exigitur, ut, quod accepimus, fœneratum reddamus. atque, ut in eodem simili versor, danda est opera à nobis, ut semen, quod occæcatum cohibemus, in plura germina multiplicetur. sed quæres, quæ nam sint ista germina, in quæ sit illud multiplicari necesse. nam, ex tritici quolibet grano, inquies, unum vel plures video geniculatos culmos emergere, qui postea fruges, spici ordine structas, effundunt; at, hujus nostri seminis fœcunditas qualis sit, adhuc assequi intelligentia non possum. at ego ostendam, qualis sit. etenim non minus oculis cernitur, quam quæ funduntur ex tritico aliisque seminibus. hic est nimirum, animarum quæstus. nam, cum per me, vel per alium, oratione, vel multo magis exemplo, plures Christo pariuntur, hi sunt ejus seminis fructus, qui mihi vel illi insedit. plane necesse est, ut hoc semen multiplicatum Christo reddamus. ut enim semen, quod satum est, si plus uno grano non effert, inutile censetur esse; ita etiam verbum Dei, si neminem, præter me unum, Christo adjungat, nullam in me fœcunditatis laudem habebit. hanc sibi aliisque fertilitatem regius Vates optabat, cum diceret, *Rivos ejus inebrians, multiplica genimina ejus.* quæ verba ne à me in alium sensum, atque dicta sunt, accipi ac detorqueri existimes, habes Augustinum, qui ea tibi exponet. quid nam ait ille? audi. Fiant primo sulci, qui inebrientur. at quid per sulcos, Augustine, intelligis? duritiam pectoris nostri, vomere sermonis Dei conscissam atque apertam. agedum, quid nam est hoc, quod dicit, *Multiplica genimina ejus?* est oratio petentis, ut, per unum, multi convertantur ad Deum. quamobrem hoc petitur? quia non sufficit uni homini, ut sit factus ipse fidelis, si non alium etiam lucretur. unde hoc colligis? quia semen, unde hoc simile ducitur, sic multiplicatur; pauca grana mittuntur, & semen exsurgit. hactenus Augustinus. At quonam putas studio, seminis, quod acceperat, multiplicandi, flagrasse eum, qui diceret, *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis!* quot culmis idem multi-

H 4 plicatum

plicatum dediſſe? poſtremo, hac una in re, arvum animæ noſtræ ceteris arvis ſeminalibus præſtat, quod cetera arva poſſunt quidem ſibi cæli atque temporum benignitatem optare, non tamen præſtare: at vero anima noſtra, ſi tradita ſibi ſemina cupide excipiat, continuo omnia cæli terræque beneficia conſequitur. Quamobrem, ſi omnia, quæ ad fructus faciendos neceſſaria ſunt, large nobis copioſeque donantur, det operam unuſquiſque, Deo bene juvante, ut ex ſeſe quam plurimum edat, neque committat ut ſibi aliquando objici poſſit, quod acceperit in vano animam ſuam. Vale. III Idus Februar. CIↃ IↃC XXXVII.

X X I.

EX ſuperioribus litteris hæ alteræ, mi Hugo, naſcuntur. non enim in eis potui, quæ cogitaveram, omnia effundere; itaque Chriſti Salvatoris noſtri imperia ſequutus, qui jubet colligi fragmenta ne pereant, ſuperioris ſermonis reliquias in has litteras, tanquam in ciſtam, collatas, tibi deguſtandas profero. *Exiit* igitur, *qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum*; *&*, *dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt.* Audiendus, ac diligenter memoriæ mandandus, ſapiens hic Chriſti ſermo, ſi quiſquam alius, à nobis. etenim, præ ceteris ejus ſermonibus, ad rem noſtram pertinet; adeo ut non tam iis, qui tum præſentes aderant, quam nobis, narrari videatur. Etenim plerique eorum fortuito ad Chriſtum audiendum confluxerant, neque animum præparatum ad accipiendum divini verbi ſemen attulerant; nos vero conſulto ad eum, diſciplinæ cauſa, convenimus, & quendam quaſi agrum, totos eidem excolendos conſerendoſque tradidimus. quamobrem debemus exiſtimare, nos in primis eam eſſe terram, in quam datum eſt illud ſemen, de quo loquimur, ac præſertim ſigillatim unicuique noſtrum dictum eſſe illud, quo Chriſti ſermo concluditur, *Qui habet aures audiendi, audiat.* audiendi verbum, hoc loco, non tam referendum eſt ad aurium ſenſum, quam ad animi judicium; atque id ſignificare videtur: Qui ſe his dictis verberari intelligit, non negligat, neque contemnat, ſed animum advertat, remedia ad ſalutem opportuna ac neceſſa-

ria

ria adhibeat. Atqui summa hujus Euangelii illuc pertinet, ut intelligamus, de quatuor seminis partibus, unam tantum, fertili excultoque exceptam solo, fructum attulisse, reliquas vero in segetem deteriores datas, ante messem interiisse. non sinat nos Deus, pro suo in nos amore summo ac singulari, in aliqua earum trium partium numerari, quæ perperam semen exceperunt: non ferat, non permittat, hunc animæ nostræ tanquam agrum, partim pretereuntium pedibus obteri, partim lapide obdurescere, partim spinis efferari: sed velit eum potius, ipsius beneficio pinguem effectum, cum sexagesimo & cum centesimo efferre. ratio autem, cur tres ejus seminis partes interierint, ea primum redditur, quod una ejus pars in viam ceciderit, ac proinde factum sit, ut avium prætervolantium morsibus depasceretur. non fuisset adeo in proclivi, hoc loco, explicare, quid per aves cæli intelligeretur, nisi Christi benignitas tarditati hominum succurrisset, qui, aves cæli, perpetuos humani generis hostes interpretatus est esse; quorum omnis in eo labor impenditur, ut, jacta in animum nostrum, divini eloquii semina statim eripiant. jam vero, quid sit via publica, perspicuum est magis, quam ut interpretationem cujusquam efflagitet. quis enim nesciat, viam publicam eam esse, qua iter est omnibus? ecquando animus noster, ex privato veluti agro, in viam publicam vertitur? tum profecto, cum est impuris ac noxiis cogitationibus pervius; quæ cogitationes, si semel admittantur, ita hac & illac, Dæmonibus immistæ, à quibus excitatæ sunt, per animum commeant, ut, quidquid in eum inciderit seminis, deprædentur ac devorent. neque mirum; nam via publica, nunquam semen accipit ad frugem, sed avibus objicit ad pastum; neque ullam culturæ rationem admittit, sed, quidquid in ea culti residet, deformandum viatoribus subjicit. quid multis moror? quidquid in ea excolenda operæ ac laboris insumitur, deperit totum. nam, quid aratro subigatur, si perpetuis prætereuntium itineribus terenda sit statim? quid novetur, quid iteretur, si sit eam necesse, non hominum modo vestigiis, sed pecudum etiam ungulis, efferari & imprimi? itaque quoad cor meum prædictarum cogitationum frequentia celebrabitur, tum avium

diripientium injuriis patebit, tum etiam inanis omnis noster in eo excolendo labor existet. quamobrem, quisquis cor suum optat ad similitudinem veri agri fertilisque componere, illud primum obeuntium itineribus habeat obstructum, tum pœnitentiæ ligonibus fodiat, amoris timorisque pastino subruat, postremo divini eloquii semine conserat; sed det operam in primis, ut, quod sparsum erit, occæcatum cohibeat, hoc est, ut memoria quam diligentissime sepiat. ut enim fruges tum bene proveniunt, cum excipiuntur terræ gremio mollito atque subacto; ita etiam, tum divini eloquii fructus apparent, cum illud incidit in comprehendentem continentemque memoriam. eos enim Christus, ad efferendos fructus, omnium optimos esse ait, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Altera pars seminis dicitur periisse, quod lapidibus hæserit, ubi, quia non suberat sabulum, prius exaruit, quam radices immitteret. videre licet, quosdam hilares lubentesque divinum verbum excipere, memoria sepire, & ad ejus normam vitam moresque corrigere; ecquis non magnum ex ejusmodi herbulis fœnus expectet? ecquis non optimam de illis spem concipiat? præbent alacritatem, quam velut herbescentem quandam viriditatem appellaverim; afferunt etiam propositum faciendi ea, quæ imperantur; quod propositum simile culmis dixerim, includentibus in sese, tanquam vaginis, aristas: sed vix aut dolor aliquis urit, aut injuria lacessit, aut levis quæque calamitas ingruit, cum statim viriditas illa flavescit, & inanes in spicis aristæ se produnt; hoc est, continuo alacritas illa in bonis operibus deficit, illudque benefaciendi propositum cassa nuce inanius existit. id adeo contingit, quia illud lapidi inhærebat, neque in eo poterat alte radices immittere. hinc illud nobis aperitur, quod clausum sine dubio fuisset, nisi cælestis magistri oratio detexisset: nimirum, quæ nam sint ea corda, quæ lapidis instar obrigeant. atque ea sunt, quæ, de suscepto verbi semine, fœnus spondent nec reddunt, quæ spem objiciunt sed fallunt; uno verbo, quæ *cum gaudio suscipiunt verbum, & in tempore tentationis recedunt.* quod ut exemplis illustretur, proditum memoriæ est in sacris litteris, cor Pharaonis, ad similitudinem lapidis, obriguisse. *induratum est*, inquit

Deus,

Deus, *cor Pharaonis.* sed quid faciebat amplius Pharao quam isti faciunt? nihil plane. significabat, se, rebus illis admirabilibus quæ à Moyse patrabantur, commotum, meliorem mentem suscepisse; pollicebatur populo Iudaicò libertatem, quem acerbissimo servitutis jugo premebat; spondebat Moysi, se descensurum in omnia quæ vellet: verum, cum conferenda ad rem erant quæ dixerat, inveniebatur similis herbulæ, quæ antea solis calore siccatur, quam ad maturitatem frugemque perveniat. quid mirum est igitur, si, rubri maris fluctibus oppressus, descenderit in profundum ut lapis, qui lapidis naturam induerat? Tertia pars seminis, quamvis pingui excepta solo, quamvis orta, quamvis alta, attamen neque frugem, spici ordine structam, effudit, neque est maturitatem adepta; non aliam ob causam, nisi quia est à spinis excepta ac præfocata. *Et aliud*, inquit, *cecidit inter spinas, & simul exorta spina suffocaverunt illud.* neque defuit Christus, etiam in hac parte, tarditati nostræ, sua interpretatione, succurrere; qui, spinarum vocabulo, divitias dixit & voluptates esse intelligendas. *quod autem*, inquit, *in spinas decidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, suffocantur, & non referunt fructum.* in quo Gregorius exclamat, ac, Si, inquit, ausus essem asserere, spinarum appellatione divitias contineri, fortasse communis omnium consensus respuisset hanc interpretationem meam, neque, quod dixissem, simile veri esse dixisset; jam vero, cum id Christus aperte profiteatur, dubium cuiquam esse non debet. magna quidem Christo habenda est gratia, qui rem, involutam integumentis similitudinis, palam nobis evolvit, ac in medium protulit. at ego ajo, quod si id Gregorius cogitare, ac cogitatum eloqui, potuisset, facile omnibus probaturum fuisse quod dixisset, neque quidquam ab eo allatum iri, quod doctos ac sapientes viros effugisset. nam hoc dictum est etiam prius, non quidem iisdem verbis, quibus nunc Christus edisserit, sed aliis, apte hanc sententiam concludentibus. ac primum video, veteres philosophos in hac opinione fuisse versatos, ut crederent, voluptates ac divitias non minoribus acuminibus præditas esse quam spinas, eosque sæviter pungere qui ad eas animum appulissent.

lissent. nam, cum alii munera sibi missa contemnerent, alii aurum, quod possiderent, abjicerent, alii curam rei familiaris negligerent, quid aliud significabant? quid docebant, nisi, bona hæc fluxa atque caduca, velut spinis, horrere, atque animum, quem comprehendissent, obruere, lacerare, atque à cælestium divinarumque rerum contemplatione secludere? David vero, cum dicit, *Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere*, quid nam aliud dicit, nisi, ne divitiis circumfluentibus adhæreamus? nam, quid est divitiis affluere, nisi ab illis ambiri atque obsideri? quid nam autem est, cor apponere, nisi eisdem animum ac mentem adjungere? at, si quæratur, cur divitiæ & voluptates tam diligenter habendæ sint procul ab animo, non alia ejus rei ratio reddetur, nisi quia, quidquid illæ attingunt, continuo exulcerant, lacerant, scindunt. neque David hoc tam respondebit doctus quam expertus; qui, semel olim voluptatibus arreptus, non antea eas esse acuminatas sensit, quam *conversus est in ærumna sua, dum configitur spina.* quid igitur fiet his spinis? nimirum id, quod res ipsa suadet, ut ferro excidantur, tum igni dedantur, illi, inquam, igni, quem ardor caritatis inflammat, quique ea, quæ redundant, in pauperes rejicit. Summa denique huc redit, ut, si cupimus imitari agros fertiles, si est in animo, traditum nobis semen, mutuanti Deo, reddere cum usura, culturæ patientem animum accommodemus, atque eum, primum, pravarum cogitationum itineribus obseramus, tum omni duritia exuamus, postremo spinis, hoc est, noxiis divitiarum ac voluptatum affectibus, expurgemus. ita enim fiet, ut autorem bonorum operum, Deum, minime operæ laborisque sui, in nobis excolendis erudiendisque, pœniteat. Vale. Pridie Idus Februarii CIϽ IϽC XXXVII.

X X I I.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

OMnino, mi Hugo, nostram Christus amicitiam expetit; omnino vult nos potius, qualis sit, amicus, quam inimicus, periculum facere. & quoniam amicitiæ

amicitiæ munus tueri non poteſt niſi qui rationis eſt compos, quo fit, ut infantes, quique matris alvo continentur, ad conglutinandas colendaſque amicitias non ſint idonei; ideo jubet nos Apoſtolus, evacuare, quæ ſunt parvuli, ſuo ipſius exemplo; *qui cum eſſet parvulus, loquebatur ut parvulus, ſapiebat ut parvulus, cogitabat ut parvulus.* at quæ nam ſunt iſta parvulorum propria, quæ ſint à nobis, quantum poteſt, ejicienda? ea quæ hoc loco narrat Apoſtolus; omnia perpeti, non æmulari, non perperam agere, non inflari, & cetera omnia, quibus vetus refertus eſt homo, cujuſmodi ſunt rerum omnium terrenarum cupiditates & ſtudia. nam homo vetus, quem funditus exſtinctum eſſe oporteat, totus erat conflatus è terra. *Primus homo*, inquit Apoſtolus, *de terra terrenus*, qui, nondum divinarum rerum capax, eſca & potione ad Dei amorem & obedientiam alliciendus erat. hinc abundantia frumenti, vini, & olei, hinc longa vita, & cetera ejuſmodi quæ Deo obtemperantibus promittebantur. atque illud mirari jam deſino, quod antea vehementer mirabar, quid eſſet, quod, cum veteris ac novæ legis præcepta plane ſint eadem, mercedes tamen & præmia in tanta diſſimilitudine ac varietate verſentur. nam veteribus illis Deus, ut diximus, ſi ad ipſius legis præſcriptum vitam inſtituiſſent, terram Chanaan pollicebatur, hoc eſt, terram fluentem lac & mel; hanc illis voluit eſſe mercedem laborum ac moleſtiarum quas ſuſcepiſſent: at nobis, ſi Dei juſſa fecerimus, non amplius ea, quæ ſunt beſtiis quam hominibus aptiora, proponuntur, ſed cæleſtia, immortalia, divina, uno verbo, Deus ipſe, mercedis loco proponitur atque perſolvitur. quamobrem hoc? quia, inquit Apoſtolus, *non primo quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, poſtea quod ſpirituale.* ſimile hujus eſt, quod, in hominis fabrica, natura molitur, quæ, ut quibuſdam philoſophantibus placet, primo illi, quod in alvo matris conceptum eſt, alendi ac ſentiendi vim tribuit, tum animum ratione præditum addit, qui omnes earum facultatum gradus amplectitur: neque, dum in alvo matris, rationis expers, includitur, homo eſt, ſed tantum tendit in hominem: ita etiam vetus homo, ad ſenſus corporis omnia referens, quia haud multum à ceteris animantibus differre

differre videbatur, erat quidam quasi conceptus, esca & potione attrahendus ad Deum. *Bona terra*, inquit Deus, *comedetis.* nam quid aliud bobus dicere potuisset? *sed ubi venit plenitudo temporis*, hoc est gratiæ, *evacuavit ea, quæ erant parvuli*, & absolutionem perfectionemque recepit suam, crevitque *in virum perfectum*, *in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* quamobrem, qui spes & cogitationes suas postulat hujus vitæ commodis alere, perinde insanit, ac'si cupiat in alvum parentis iterum abdi; ac, modo conceptus, imperfectus ac rudis, vita illa pecudum propria vivere. immo longius multo stultitiâ progreditur; nam, qui transire ad pecudes expetit, illuc ire contendit, ubi inter animantia consideat; at, qui remeare ad veterem hominem postulat, minus etiam, quam animal, esse desiderat; nimirum, lutea, nescio quæ, hominis imago fieri nititur. nam, ex eodem Apostolo, quid est vetus homo, nisi novi hominis tanquam quidam modus ac forma? etenim, sicut artifex, qui statuam ex ære vel auro conflandam conducit, ejus primum imaginem & formam ex argilla componit, tum auream fabricatur; ita etiam rerum omnium opifex Deus, cum novum hominem vellet, non æneum, non aureum, sed cælestem divinumque, statuere, qui cum amicitias exerceret, quem amore & benevolentia complecteretur, quem quodammodo similem sui haberet, ejus primum modum ac formam, veterem nimirum hominem, finxit, terrenum ac luteum; nam *primus homo, de terra terrenus*; tum novum hominem, talem, qualem deformavimus, edidit, vetere expulso atque ejectô. cupit aliquis scire, utrum ad novum hominem pertineat, an ad veterem? videat, quid amet, quid cupiat, quid optet: si ejus cupiditates & studia ad divitias, honores, voluptatesque revolvuntur, jam sciat, nihil sibi commune esse cum novi hominis dignitate atque præstantia, sed, utpote terreno, veteris adhuc statum & conditionem hærere. etenim, novi hominis cogitationes & studia longius à terrenis cogitationibus absunt, quam cælum à terra sejungitur. *Si consurrexistis cum Christo*, inquit Apostolus, *quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est, in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite.* obsecro, te, mi Hugo, ut mecum placeat paulo diligentius

tius hæc Apostoli verba perpendere, ac simul intelligere, cujus notæ esse debeant ii, quos sibi amicos Christus exoptat. non satis habuit Apostolus dicere, *ubi Christus est*, sed insuper addidit, *ad dexteram Dei sedens*; quod videlicet Christus, ascendens in altum, nullam cæli oram potissimum tenuit in qua consisteret, nullum cælestium spirituum ordinem ubi sedem collocaret, optavit, sed hinc in cælum cursum arripuit, supergressurus, ut Leo inquit, Angelicos ordines, & ultra Archangelorum altitudinem elevandus, nec illis sublimitatibus modum suæ provectionis habiturus, nisi æterni Patris receptus consessu. quemadmodum igitur Christus non antea cursum suum inhibuit, quam Dei Patris dexteram attigisset; ita etiam spes & cogitationes nostræ, omnibus humanis rebus infra se relictis, omnem principatum & potestatem, & virtutem, & dominationem, præterire jubentur, neque antea quiescere, quam ad dexteram majestatis Dei pervenerint: illuc omnes nostræ curæ, cogitationes, & studia referenda sunt; illuc noster dirigendus est amor, voluntas & conatus, si Dei nobis amor est cordi, si ejusdem amicitia in voto. tali in Deum mente præditus fuisse videtur regius Vates, qui, regali sane animo, inquit, *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* qua voce, humiles & abjectæ cogitationes nostræ coarguuntur, quæ, humi defixæ, nihil altum suspiciunt, sed fere semper ad fluxa atque caduca hujus vitæ bona revolvuntur. quid est tam amplum atque magnificum, quam Angelorum splendor ac dignitas? ut etiam, quivis inferiorum ordinum Angelus omnes mundi hujus principatus & imperia, infra suam amplitudinem & majestatem, longo intervallo relinquat. quid est Christi corpore clarius, quid honestius, quid pulchrius? attamen is, in novo homine qui veterem evacuavit, animus ita magnus, ita exaggeratus exquiritur, ut præterire hæc omnia jubeatur, atque ad Dei solium, quanta potest celeritate, contendere, ibique, una cum Christo, vitam prope divinam exigere. at, qui vere factus est vir, adeo evacuavit hæc omnia quæ erant parvuli, ut talis vir, ab Apostolo, quod ad vitam voluptariam & terrenis cogitationibus præditam attinet, sensus omnis expers ac plane mortuus appelletur. *Mortui*, inquit,

inquit, *estis*, *& vita vestra absconditâ est cum Christo in Deo*. atqui, si hæc, vita non est, sed absçondita vita nostra, tanquam mortui vitam istam vivere debemus. tanquam mortuus non vivit ille, qui injuria lacessitus irascitur, qui divitiis ac voluptatibus delinitus excipitur. non latitat cum Christo in Deo, qui honoribus nitere, qui in oculis hominum versari desiderat. quod caritas, quæ nos Christo conglutinat, *patiens est*, *benigna est*, *non æmulatur*, *non est ambitiosa*, neque ceterorum vitiorum affinis, quæ hoc loco Paulus enumerat. At, si saltem hæc vita, qua homo plerunque mori recusat, aliquam veræ vitæ rationem includeret, esset fortasse tolerabilis ejus error: verum adeo non est vita, ut etiam omnes mortis numeros habeat; tantum eidem, vitæ quædam species, nec quidquam præterea aliud, inhæret; ideo, eadem præditi, à Davide, non, vivi, sed, tanquam viventes, appellantur. *Prius quam*, inquit, *intelligerent* vel producerent, ut vertit Augustinus, *spina vestra rhamnum*, *sicut viventes*, subintelligitur, eratis; hoc est, ipsi vobis vivere videbamini. rhamnus, spinarum genus densissimum esse perhibetur, quod primo fundit herbescentem ex sese viriditatem, qua nihil mollius, nihil jucundius, nihil ad oculos pulchrius videatur: verum, cum adoleverit, eos spinarum edit aculeos, ut nihil eisdem acrius, nihil sævius, nihil ad feriendum, vel potius ad lacerandum, acutius inveniatur. Ista, quæ, nitore suo, oculos pascunt, quæ admirationem, quæ animum rapiunt, sunt illa quidem, in specie amœna atque jucunda, sed, si digito ea uno tetigeris, hoc est, si induxeris animum experiri, iis obsita spinis invenies, quæ misere animum lacerent atque cruentent. neque antea hoc ille intellexit, qui, voluptate impermissa ac vetita delinitus, abripi se ab ea permiserat, quam *conversus est in ærumna sua*, *dum configeretur spina*. cum igitur, ex sententia Davidis, humanarum rerum cupidi atque studiosi, dum earum specie capiuntur, non viventes, sed similes viventium habeantur, quia falsa est hæc vita impiorum; quod non vivant sed vivere ipsi sibi videantur; consequens illud est, ut dicamus, veros Christianos, qui omnes suas spes & cogitationes, ab his rebus abstractas, conjecerunt in Deum, veluti quandam mortuorum similitudinem

dinem reddere. quia funditus ab animo evacuaverunt ea, quæ sunt parvulorum; videlicet cupiditates omnium rerum, quæ sub cælo sunt. ideo dicebat vir sanctissimus, *Desperavi; nequaquam ultra vivam.* desperabat ille, at, hac desperatione, ad spem maximam excitabatur. sunt quidam, qui, quamvis amore rerum cælestium inflammentur, à terrenis tamen rebus se plane non eximunt. nam bonis, sibi à parente relictis & traditis, ad vitæ necessitates utuntur, honores è Rep. gerunt, atque alia ejusmodi munera præstant; quæ cum faciunt, non idcirco censentur esse iisdem affixi vel addicti; quia bonis illis dominantur, non serviunt, utuntur, non animum implicant, parati prorsus carere, si ita Dei voluntas, vel usus, exposcat. quidam vero longius progrediuntur; nam bonis omnibus sponte se abdicant, ac, desiderio cælestis patriæ, omnibus humanis solatiis aditum in animum obstruunt; atque istos, quod ad vitæ hujus voluptates attinet, plane mortuos dixeris, quia vitam in se funditus corporeæ delectationis necant. quorum illa vox est, *Concupiscit & deficit anima mea in atriis Domini.* concupiscunt sed non deficiunt ii, quos primo loco posuimus, qui jam quidem, ut Gregorii verbis utar, cælestia appetunt, sed tamen adhuc à terrenorum delectationibus non lassantur; concupiscunt vero & in atria Dei deficiunt isti, qui æterna desiderant, simulque in amore temporalium non perdurant; quamobrem, quia, ut diximus, omnium cupiditatum igniculos habent exstinctos, ideo mortuorum loco numeroque censentur, quibus solis licet Davidicum illud usurpare, *deficit in salutari tuo anima mea.* talis erat ille, qui ab omnium rerum humanarum cupiditate sejunctus, *Desperavi*, inquit, *non vivam.* Desperare justo, ut interpretatur Gregorius, est præsentis vitæ bona, æternitatis delectatione, deserere, mansura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere. ne multa; tum plane spirituales viri de vita desperant, cum omnes, quantumvis permissas, voluptates, quæ sunt tanquam ludi parvulorum, nec adhuc ratione utentium, bonorum æternorum studio, à se rejiciunt, nec audent attingere. quod, quia veteres Christiani factitabant, quia perfecte evacuaverant quæ sunt parvulorum, vulgo, ut tradit Tertullianus, nullius

pretii homines vocitabantur; ut etiam Suetonius Flavium Clementem, virum Christianum, Domitiani Cæsaris patruelem, cujus filios, etiam tum parvulos, successores Imperii destinaverat, inertiæ & quidem contemtissimæ, arguat. nimirum didicerat homo, Dei spiritu plenus, mortalium honorum fastus contemnere ac pro nihilo ducere. Non potest hæc epistola utilius perorari atque concludi, quam si cogitemus, quantam in se malorum vim attrahant Christiani illi, qui, incitati cupiditate, ad res fluxas atque caducas, inflammato studio, rapiuntur. nam, si veteres illi, qui, præ Christianis hominibus, luteæ hominum imagines videbantur, quibusque pro recte factis, interitura una cum ipsis præmia persolvebantur, æternæ damnationis pœnam non effugiebant, si se intemperantius in illis jactavissent; quid nobis futurum censemus, quibus veri ac germani hominis dignitas ac forma tributa est, quibusque cælum ac Deus ipse, mercedis loco, proponitur, si in voluptatibus, divitiis, & honoribus, non temperaverimus, sed libidines in eis nostras effuderimus? evacuemus igitur, mi Hugo, hoc est, ejiciamus à nobis hæc ludrica puerorum oblectamenta, quæque perfecti sunt viri munera suscipiamus atque præstemus. nam quid est aliud, ex Apostoli sententia, semper esse puerum, nisi, honoribus duci, voluptatibus capi, divitiis atque opibus abripi? Vale. XI Kal. Martii CIↃ IↃC XXXVII.

XXIII.

Ecce, *ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur.* Cum sciret sibi Christus mortem instare, atque, ad eam fortiter pro nobis obeundam, Hierosolymam peteret, voluit Apostolos hujus secreti participes facere. verum, in re tanta exponenda, nihil circuitionibus usus est, neque similitudinibus, quibus antea divina mysteria includere solitus erat, rem totam involvit, sed palam exposuit, & in animis audientium, tanquam in oculis, defixit. & sane, ad evellendam ab eorum animis eam opinionem, quam de Christi regno conceperant, non alia vi opus erat, nisi hac,

hac, ut aperte fateretur, se esse natum ad laborem non ad otium, ad dolores non ad voluptates, ad contumelias non ad honores, ad acerbissimam mortem non ad suavissimam vitam; atque in ejusdem sortis societatem includi eos qui se ipsi socios comitesque junxissent. *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur gentibus*, ad illudendum, flagellandum, conspuendum, & crucifigendum. nam quemadmodum eæ arbores, quæ terram complexæ sunt arctius quam ut evelli leviter possint, scrobibus circumductæ, exstirpantur, vel, quemadmodum eæ munitionum moles, quæ fortius inhærent quam ut cuniculis dejiciantur, arietibus tormentisque sternuntur: ita etiam hæc de Christi regno opinio, quæ altiora in animis Apostolorum fundamenta ac radices immiserat, quam ut tecta ac subobscura oratione posset evelli, apertis ac dilucidis verbis tentatur everti. sed age videamus, quantum apud eos, ad quos habebatur, profecerit hæc tam diserta tamque perspicua Christi Domini oratio. ô imbecillum nostrum animum, qui ne suspicari quidem potest, qualis sit beata vita, quæ careat voluptatibus! adeo Apostoli vehementibus Christi dictis verberati, opinionem pristinam non ejecerunt, ut eam etiam mordicus retinuerint, neque eum contumeliis onerandum sed honoribus excipiendum, non in crucem tollendum sed in regali solio collocandum, non morti turpissimæ addicendum sed vita quam honestissima decorandum, existimaverint. sed ita plerunque contingit, ut, qui falsam aliquam opinionem avidius hauserit, contrariæ sententiæ aures habeat obstructas, nec per eas ratio commeare in animum possit. *Ecce*, inquit, *ascendimus Hierosolymam.* verba hæc, si placet, paulo diligentius expendamus. *Ecce*, hoc loco, particula est exsultantis, advenisse aliquem optatissimum ac jucundissimum diem. at, quid boni erat Christo allaturus hic dies, ita ejus animo carus? nihil nisi occasionem de nobis bene merendi. ergo lætatur, exultat, omnem, nobis gratificandi, moram esse sublatam; quasi vereretur, ne minus gratum suum nobis beneficium esset, quia serum. sed, hoc loco, rem in primis novam, singularem, inauditam, simul animadverte & admirare. quid tam novum, tam admirabile, tam inauditum excogitari potest, quam eum,

qui ceteros voti compotes facit, exultare atque lætari, quod sibi contigerit aliquid ex sententia, eumque, qui cælo atque astris motum & cursum attribuit, gaudere ac triumphare, quod tempus nobis benefaciendi aptum advenerit? sed ejus in nos amor hæc atque alia etiam majora conatur. videamus, utrum fiat à nobis mutuum, nec ne; num videlicet excruciemur desiderio ferendi aliquid pro Christo. ô Christi beneficia male apud homines collocata! ô amorem ultro improbis ingratisque delatum! non modo dilatio malorum, quæ pro Christo feruntur, non cruciat nos neque dilacerat, sed eorum etiam adventus perterret ac distrahit. si jejunii vel alterius cujusvis pœnæ suscipiendæ tempus advenit, non modo illud tarde adventasse dolemus, verum etiam celeriter properasse culpamus; si adversi aliquid subeundum sit, non illud modo hilari vultu non recipimus, sed tristi & contracta fronte repellimus. quamobrem hoc? quia non diligimus, sed amare assimulamus; quia par pari referre non studemus, sed ingratum animum gerere non erubescimus. at nulla mihi, inquiet aliquis, patiendi facultas objicitur, qua me Christo gratum exhibeam. num saltem doles, eam à te facultatem abesse? immo tantum abest, ut doleas, nihil tibi pro Christo adversi contingere, ut etiam roges, ne profluentem ac liquidum felicitatis tuæ amnem calamitate aliqua infuscari ac retardari patiatur. itaque, si de tuo in Christum amore gloriaris, voto tuo refelleris, ac simul in pessimo ingratorum hominum numero inveniri convinceris. nam, quod est genus ingratorum tam detestandum, quam eorum, qui bene de se meritis, non modo, non rem ipsam, sed ne voluntatem quidem emetiuntur? *Ecce, ascendimus Hierosolymam.* cur inquit, *ascendimus?* quia, inquies, Hierosolyma edito excelsoque loco sita erat. bene ais, sed operæ pretium est, omisso verborum cortice, ad intima spiritualis sententiæ cubilia penetrare. quod si fiet à nobis, inveniemus, ascendendi verbo, non tam arduum ad Hierosolymam iter, quam sublime crucis fastigium quod ibidem ascensurus erat, intelligi. rem admirabilem! ita Christus, salvator noster, ad verbera, ad cruciatus, ad contumelias, ad crucem, properabat, ut si in magni cujuspiam Regni possessionem venturus

venturus esset. neque hoc novum est, neque nunc primum ab eo aures nostræ accipiunt; sed, quoties de crucis supplicio, quo afficiendus erat, sermonem instituit, toties ascensionis vel exaltationis nomen usurpavit. nam alias, *Oportet*, inquit, *exaltari filium hominis*; alias, *Cum exaltaveritis filium hominis, tum cognoscetis quia ego sum.* quid multis moror? nunquam illam ignominiam, illud dedecus, aliter, quam suam gloriam, decus, & amplitudinem, duxit. sed, rem altius consideranti, omnis plane hac de re admiratio consistet. nam, qui miratur, honestum & gloriosum esse Christo, verbera, contumelias, crucemque perferre, cur non etiam miretur, amplum & magnificum esse, cum hoste confligere, ac de eo victoriam ac triumphum referre? & qui turpe putat, cum doloribus, contumeliis, injuriis, & cum morte, contendere, cur non etiam turpe existimat, cum adversario acerrimo promtissimoque componi? at, inquies, cum inter duos pugna committitur, uterque adversarium aggreditur, ferit, propulsat, & quantum in se est, ad interitum trudit; at, quæ pugnæ ratio fingi potest in eo, qui vulnera non infert sed accipit, qui injuriam non facit sed patitur, qui gladiis inimicorum non obstat sed jugulum præbet? at, si nulla in nos, ex ferendi patiendique alacritate, laus & gloria redundat, quid in Socrate, in Regulo, in Rutilio, tantopere vetustas admiratur & prædicat? certe isti non intulerunt aliis injuriam sed ab aliis sibi factam exceperunt, non inimicis suis restiterunt sed cesserunt, non patriam, non bona, non vitam, in judicium capitis vocati, retinuerunt, sed exilium, sed mortem, iniquissimis sententiis damnati, reportaverunt. Regulus in primis, maximos exercitus duxerat, Remp. fortiter gesserat, hostem interfecerat; sed hæc omnia, quamvis magna, quamvis præclara, obscurantur ab ea gloria, quam sibi peperit, cum à pœnis excruciatus, vexatus, ludibrio habitus, quid patientia posset, ostendit, adeo ut nemo ex veteribus paulo cordatior exstiterit, qui, si optio data esset, non se Reguli, quam Cæsaris vel Pompeji, similem nasci maluisset, qui, non ab accipienda sed ab inferenda injuria, clari ac nobiles feruntur. in quo veterum stupor, sive potius stultitia, manifesto tenetur; qui, quam in Regulo, Rutilio,

Non possunt filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus, jejunare, non tam de eo jejunio interpretor, quo quis, de quotidiano victu aliquid sibi detrahens, genium suum fraudat, quam de eo, quod, absente Christo, spiritualibus epulis animus caret. tum vere est animus siccus, jejunus, inanis, cùm sponsus abest; tum satur, expletus, cum sese illius præsentia delectat ac reficit. ineamus ergo hoc jejunium alacriter; quo nulla est fortior contra animi morbos medicina, nullum adversus peccatorum vulnera malagma salubrius, nullum, ad veniam ab irato judice impetrandam, remedium præclarius, nullum, ad gratiam ab eodem ineundam, inventum illustrius. quod si mihi, tibi, ceterisque tui similibus, tanta in jejunio suavitas, ac prope delectatio, inesse videtur, nonne ex hoc conjectare potissimum liceat, esse illud homini necessarium? nonne ea omnia, sine quibus non potest hominis vita consistere, natura, præcipua quadam suavitate refersit, quo etiam cum voluptate perciperentur, neque, propter injucunditatem prætermissa, eundem ad interitum adigerent? nihilo magis jejunium, quo præsertim spiritualis vita sustentatur & alitur, sua Deus voluit voluptate carere, ne, si quid haberet suavitatis minus, negligeretur, atque in omnium odium irrueret. at vide, quam sit necessarium jejunium, ut, non secus ac corporis cibus, non una certum anni vel ætatis parte, sed omni vitæ tempore, atque adeo omnibus diebus, sit adhibendum. Atqui in omni vita, non alia magis esca atque sagina, quam jejunio, alendam implendamque esse animam, præter ea quæ diximus, duo illa, quæ mox subjiciam, sunt argumento in primis. primum, numerus dierum, qui hoc jejunio continentur; qui numerus, non solum à Christo Domino sanctus atque solemnis est redditus, sed jam inde usque à Moyse & Elia, nimirum à lege & Prophetis, sacer est habitus. quamobrem Christus, cum in monte Thabor gloriæ suæ luce circumfusus apparuit, medius inter Moysen & Eliam est visus: quadraginta autem (totidem enim diebus constat hoc jejunium,) denarium numerum, qui numerus est ab omni parte absolutus atque perfectus, quater amplectitur; qua re, ut Augustino placet, quatuor illæ partes, in quas tum annus, tum dies, tanquam in

membra,

membra, secatur ac scinditur, significari videntur. anni
autem partes, ut palam est omnibus, sunt ver, æstas, autumnus & hiems; diei vero, mane, meridies, vesper &
nox. nulla igitur tum anni tum diei pars, si sanam, si incolumem, si vegetam, servare animam volumus, vacare
jejunio debet. jam vero tempus, quo Christus, jejunio
operam daturus, in loca sola atque avia recessit, nonne
luce clarius ostendit, quo primum tempore, jejunium amplectamur, atque in eo nos, usque ad extremum vitæ contineamus? quando Christus, propter hanc causam, solitudines & antra sequutus est? tum, quando à Io. Baptista
discessit; à quo, suo jussu, atque adeo coactu, fuerat Iordanis aqua perfusus. tum, tum, inquam, unusquisque nostrum jejunio idoneus existimatur, cum, ad sacrum Baptismatis fontem, in novam vitam revocatur. nam, sicut
homo, simul ac ortus est, cibo inhiat, unde se tueatur &
alat; ita etiam idem, in spritualem vitam editus, jejunium
diligat, quo præsertim ejus vitæ status conservatur, oportet. statim igitur post Baptismum, hoc est, ab ineunte
spirituali vita, vocamur, non ad ludum sed ad laborem,
non ad otium sed ad certamen, non ad risum sed ad luctum, non ad commissationes, non ad epulas, sed ad sobrietatem, sed ad jejunium. quod si quem magis jocus,
voluptas, risus, & convivia, delectant, hic non eo more
vitam exigit, quem suscepturum, in baptismo, solemni
sponsione, firmavit, sed antiquam ac detestabilem consuetudinem obtinet. quam huic dissimilis maxima illa credentium multitudo inveniebatur, quam, initio nascentis
ecclesiæ, acris, vehemens, & Spiritus sancti igne succensa, Apostolorum concio Christo pepererat! qui quidem
novi Christianæ religionis fœtus, quemadmodum vitam
instituerint, quemadmodum mensam instruxerint, quemadmodum in omni victu cultuque sese tractaverint, petatur à Luca Euangelista, qui Apostolorum res gestas persecutus est diligentissime. ait enim de illis qui conversi
essent ad Christum, quod, *frangentes circa domos panes,
sumerent cibum in exultatione.* ad cujus loci interpretationem nihil à me excogitatum afferam, non meam auctoritatem, quæ nulla est, interponam, sed ejus utar ingenio, qui tibi, jure optimo, summus, admirabilis, qui ...

Non possunt filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus, jejunare, non tam de eo jejunio interpretor, quo quis, de quotidiano victu aliquid sibi detrahens, genium suum fraudat, quam de eo, quod, absente Christo, spiritualibus epulis animus caret. tum vere est animus siccus, jejunus, inanis, cùm sponsus abest; tum satur, expletus, cum sese illius præsentia delectat ac reficit. ineamus ergo hoc jejunium alacriter; quo nulla est fortior contra animi morbos medicina, nullum adversus peccatorum vulnera malagma salubrius, nullum, ad veniam ab irato judice impetrandam, remedium præclarius, nullum, ad gratiam ab eodem ineundam, inventum illustrius. quod si mihi, tibi, ceterisque tui similibus, tanta in jejunio suavitas, ac prope delectatio, inesse videtur, nonne ex hoc conjicere potissimum liceat, esse illud homini necessarium? posuit ea omnia, sine quibus non potest hominis vita consistere, natura, præcipua quadam suavitate refersit, quo etiam cum voluptate perciperentur, neque, propter injucunditatem prætermissa, eundem ad interitum adigerent? nihilo magis jejunium, quo præsertim spiritualis vita sustentatur & alitur, sua Deus voluit voluptate carere, ne, si quid haberet suavitatis minus, negligeretur, atque in omnium odium irrueret. at vide, quam sit necessarium jejunium, ut, non secus ac corporis cibus, non una tantum anni vel ætatis parte, sed omni vitæ tempore, atque adeo omnibus diebus, sit adhibendum. Atqui in omni vita, non alia magis esca atque sagina, quam jejunio, alendam implendamque esse animam, præter ea quæ diximus, duo illa, quæ mox subjiciam, sunt argumento in primis. primum, numerus dierum, qui hoc jejunio continentur; qui numerus, non solum à Christo Domino sanctus atque solemnis est redditus, sed jam inde usque à Moyse & Elia, nimirum à lege & Prophetis, sacer est habitus. quamobrem Christus, cum in monte Thabor gloriæ suæ luce circumfusus apparuit, medius inter Moysen & Eliam est visus: quadraginta autem (totidem enim diebus constat hoc jejunium,) denarium numerum, qui numerus est ab omni parte absolutus atque perfectus, quater amplectitur; qua re, ut Augustino placet, quatuor illæ partes, in quas tum annus, tum dies, tanquam in

membra,

nembra, secatur ac scinditur, significari videntur. anni utem partes, ut palam est omnibus, sunt ver, æstas, aumnus & hiems; diei vero, mane, meridies, vesper & ox, nulla igitur tum anni tum diei pars, si sanam, si inolumem, si vegetam, servare animam volumus, vacare ;junio debet. jam vero tempus, quo Christus, jejunio peram daturus, in loca sola atque avia recessit, nonne ıce clarius ostendit, quo primum tempore, jejunium amlectamur, atque in eo nos, usque ad extremum vitæ conneamus? quando Christus, propter hanc causam, solidines & antra sequutus est? tum, quando à Io. Baptista isceßit; à quo, suo jussu, atque adeo coactu, fuerat Ioranis aqua perfusus. tum, tum, inquam, unusquisque norum jejunio idoneus existimatur, cum, ad sacrum Baptisıatis fontem, in novam vitam revocatur. nam, sicut omo, simul ac ortus est, cibo inhiat, unde se tueatur & at; ita etiam idem, in spritualem vitam editus, jejunium iligat, quo præsertim ejus vitæ status conservatur, opor:t. statim igitur post Baptismum, hoc est, ab ineunte pirituali vita, vocamur, non ad ludum sed ad laborem, on ad otium sed ad certamen, non ad risum sed ad lutum, non ad commissationes, non ad epulas, sed ad sorietatem, sed ad jejunium. quod si quem magis jocus, olnptas, risus, & convivia, delectant, hic non eo more itam exigit, quem suscepturum, in baptismo, solemni ›onsione, firmavit, sed antiquam ac detestabilem consueıdinem obtinet. quam huic dissimilis maxima illa creentium multitudo inveniebatur, quam, initio nascentis cclesiæ, acris, vehemens, & Spiritus sancti igne succenı, Apostolorum concio Christo pepererat! qui quidem ovi Christianæ religionis fœtus, quemadmodum vitam ıstituerint, quemadmodum mensam instruxerint, quemıdmodum in omni victu cultuque sese tractaverint, petaır à Luca Euangelista, qui Apostolorum res gestas per:cutus est diligentissime. ait enim de illis qui conversi ssent ad Christum, quod, *frangentes circa domos panes, umerent cibum in exultatione.* ad cujus loci interpreta:ionem nihil à me excogitatum afferam, non meam au›ritatem, quæ nulla est, interponam, sed ejus utar ingeio, qui tibi, jure optimo, summus, admirabilis, qui tibi

I 5 præ

Non possunt filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus, jejunare, non tam de eo jejunio interpretor, quo quis, de quotidiano victu aliquid sibi detrahens, genium suum fraudat, quam de eo, quod, absente Christo, spiritualibus epulis animus caret. tum vere est animus siccus, jejunus, inanis, cùm sponsus abest; tum satur, expletus, cum sese illius præsentia delectat ac reficit. ineamus ergo hoc jejunium alacriter; quo nulla est fortior contra animi morbos medicina, nullum adversus peccatorum vulnera malagma salubrius, nullum, ad veniam ab irato judice impetrandam, remedium præclarius, nullum, ad gratiam ab eodem ineundam, inventum illustrius. quod si mihi, tibi, cæterisque tui similibus, tanta in jejunio suavitas, ac prope delectatio, inesse videtur, nonne ex hoc conjicere potissimum liceat, esse illud homini necessarium? nonne ea omnia, sine quibus non potest hominis vita consistere, natura, præcipua quadam suavitate refersit, quo etiam cum voluptate perciperentur, neque, propter injucunditatem prætermissa, eundem ad interitum adigerent? nihilo magis jejunium, quo præsertim spiritualis vita sustentatur & alitur, sua Deus voluit voluptate carere, ne, si quid haberet suavitatis minus, negligeretur, atque in omnium odium irrueret. at vide, quam sit necessarium jejunium, ut, non secus ac corporis cibus, non una tantum anni vel ætatis parte, sed omni vitæ tempore, atque adeo omnibus diebus, sit adhibendum. Atqui in omni vita, non alia magis esca atque sagina, quam jejunio, alendam implendamque esse animam, præter ea quæ diximus, duo illa, quæ mox subjiciam, sunt argumento in primis. primum, numerus dierum, qui hoc jejunio continentur; qui numerus, non solum à Christo Domino sanctus atque solemnis est redditus, sed jam inde usque à Moyse & Elia, nimirum à lege & Prophetis, sacer est habitus. quamobrem Christus, cum in monte Thabor gloriæ suæ luce circumfusus apparuit, medius inter Moysen & Eliam est visus: quadraginta autem (totidem enim diebus constat hoc jejunium,) denarium numerum, qui numerus est ab omni parte absolutus atque perfectus, quater amplectitur; qua re, ut Augustino placet, quatuor illæ partes, in quas tum annus, tum dies, tanquam in membra,

nembra, secatur ac sciditur, significari videntur. anni utem partes, ut palam est omnibus, sunt ver, æstas, autumnus & hiems; diei vero, mane, meridies, vesper & ıox, nulla igitur tum anni tum diei pars, si sanam, si inolumem, si vegetam, servare animam volumus, vacare ejunio debet. jam vero tempus, quo Christus, jejunio ıperam daturus, in loca sola atque avia recessit, nonne ıce clarius ostendit, quo primum tempore, jejunium amlectamur, atque in eo nos, usque ad extremum vitæ conineamus? quando Christus, propter hanc causam, solidines & antra sequutus est? tum, quando à Io. Baptista ıiscessit; à quo, suo jussu, atque adeo coactu, fuerat Iorianis aqua perfusus. tum, tum, inquam, unusquisque norum jejunio idoneus existimatur, cum, ad sacrum Baptisnatis fontem, in novam vitam revocatur. nam, sicut ıomo, simul ac ortus est, cibo inhiat, unde se tueatur & lat; ita etiam idem, in spritualem vitam editus, jejunium iligat, quo præsertim ejus vitæ status conservatur, oporet. statim igitur post Baptismum, hoc est, ab ineunte ıirituali vita, vocamur, non ad ludum sed ad laborem, ıon ad otium sed ad certamen, non ad risum sed ad lutum, non ad commissationes, non ad epulas, sed ad sorietatem, sed ad jejunium. quod si quem magis jocus, oluptas, risus, & convivia, delectant, hic non eo more itam exigit, quem suscepturum, in baptismo, solemni ponsione, firmavit, sed antiquam ac detestabilem consueudinem obtinet. quam huic dissimilis maxima illa creentium multitudo inveniebatur, quam, initio nascentis cclesiæ, acris, vehemens, & Spiritus sancti igne succena, Apostolorum concio Christo pepererat! qui quidem ıovi Christianæ religionis fœtus, quemadmodum vitam nstituerint, quemadmodum mensam instruxerint, quemdmodum in omni victu cultuque sese tractaverint, petaur à Luca Euangelista, qui Apostolorum res gestas perecutus est diligentissime. ait enim de illis qui conversi ssent ad Christum, quod, *frangentes circa domos panes, umerent cibum in exultatione.* ad cujus loci interpretaionem nihil à me excogitatum afferam, non meam auoritatem, quæ nulla est, interponam, sed ejus utar ingeıio, qui tibi, jure optimo, summus, admirabilis, qui tibi

Non possunt filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus, jejunare, non tam de eo jejunio interpretor, quo quis, de quotidiano victu aliquid sibi detrahens, genium suum fraudat, quam de eo, quod, absente Christo, spiritualibus epulis animus caret. tum vere est animus siccus, jejunus, inanis, cùm sponsus abest; tum satur, expletus, cum sese illius præsentia delectat ac reficit. ineamus ergo hoc jejunium alacriter; quo nulla est fortior contra animi morbos medicina, nullum adversus peccatorum vulnera malagma salubrius, nullum, ad veniam ab irato judice impetrandam, remedium præclarius, nullum, ad gratiam ab eodem ineundam, inventum illustrius. quod si mihi, tibi, ceterisque tui similibus, tanta in jejunio suavitas, ac prope delectatio, inesse videtur, nonne ex hoc conjicere potissimum liceat, esse illud homini necessarium? nonne ea omnia, sine quibus non potest hominis vita consistere, natura, præcipua quadam suavitate refersit, quo etiam cum voluptate perciperentur, neque, propter injucunditatem prætermissa, eundem ad interitum adigerent? nihilo magis jejunium, quo præsertim spiritualis vita sustentatur & alitur, sua Deus voluit voluptate carere, ne, si quid haberet suavitatis minus, negligeretur, atque in omnium odium irrueret. at vide, quam sit necessarium jejunium, ut, non secus ac corporis cibus, non una tantum anni vel ætatis parte, sed omni vitæ tempore, atque adeo omnibus diebus, sit adhibendum. Atqui in omni vita, non alia magis esca atque sagina, quam jejunio, alendam implendamque esse animam, præter ea quæ diximus, duo illa, quæ mox subjiciam, sunt argumento in primis. primum, numerus dierum, qui hoc jejunio continentur; qui numerus, non solum à Christo Domino sanctus atque solemnis est redditus, sed jam inde usque à Moyse & Elia, nimirum à lege & Prophetis, sacer est habitus. quamobrem Christus, cum in monte Thabor gloriæ suæ luce circumfusus apparuit, medius inter Moysen & Eliam est visus: quadraginta autem (totidem enim diebus constat hoc jejunium,) denarium numerum, qui numerus est ab omni parte absolutus atque perfectus, quater amplectitur; qua re, ut Augustino placet, quatuor illæ partes, in quas tum annus, tum dies, tanquam in membra,

nembra, secatur ac scinditur, significari videntur. anni
utem partes, ut palam est omnibus, sunt ver, æstas, au-
umnus & hiems; diei vero, mane, meridies, vesper &
ox. nulla igitur tum anni tum diei pars, si sanam, si in-
olumem, si vegetam, servare animam volumus, vacare
junio debet. jam vero tempus, quo Christus, jejunio
peram daturus, in loca sola atque avia recessit, nonne
ıce clarius ostendit, quo primum tempore, jejunium am-
lectamur, atque in eo nos, usque ad extremum vitæ con-
neamus? quando Christus, propter hanc causam, soli-
ıdines & antra sequutus est? tum, quando à Io. Baptista
isceffit; à quo, suo jussu, atque adeo coactu, fuerat Ior-
anis aqua perfusus. tum, tum, inquam, unusquisque no-
rum jejunio idoneus existimatur, cum, ad sacrum Baptis-
ıatis fontem, in novam vitam revocatur. nam, sicut
omo, simul ac ortus est, cibo inhiat, unde se tueatur &
at; ita etiam idem, in spritualem vitam editus, jejunium
iligat, quo præsertim ejus vitæ status conservatur, opor-
t. statim igitur post Baptismum, hoc est, ab ineunte
ıirituali vita, vocamur, non ad ludum sed ad laborem,
on ad otium sed ad certamen, non ad risum sed ad lu-
um, non ad commissationes, non ad epulas, sed ad so-
rietatem, sed ad jejunium. quod si quem magis jocus,
oluptas, risus, & convivia, delectant, hic non eo more
itam exigit, quem suscepturum, in baptismo, solemni
onsione, firmavit, sed antiquam ac detestabilem consue-
ıdinem obtinet. quam huic dissimilis maxima illa cre-
entium multitudo inveniebatur, quam, initio nascentis
cclesiæ, acris, vehemens, & Spiritus sancti igne succen-
, Apostolorum concio Christo pepererat! qui quidem
ovi Christianæ religionis fœtus, quemadmodum vitam
ıstituerint, quemadmodum mensam instruxerint, quem-
dmodum in omni victu cultuque sese tractaverint, peta-
ır à Luca Euangelista, qui Apostolorum res gestas per-
cutus est diligentissime. ait enim de illis qui conversi
ssent ad Christum, quod, *frangentes circa domos panes,
ımerent cibum in exultatione.* ad cujus loci interpreta-
onem nihil à me excogitatum afferam, non meam au-
oritatem, quæ nulla est, interponam, sed ejus utar inge-
io, qui tibi, jure optimo, summus, admirabilis, qui tibi

I 5 præ

qui ceteros voti compotes facit, exultare atque lætari, quod sibi contigerit aliquid ex sententia, eumque, qui cælo atque astris motum & cursum attribuit, gaudere ac triumphare, quod tempus nobis benefaciendi aptum advenerit? sed ejus in nos amor hæc atque alia etiam majora conatur. videamus, utrum fiat à nobis mutuum, necne; num videlicet excruciemur desiderio ferendi aliquid pro Christo. ô Christi beneficia male apud homines collocata! ô amorem ultro improbis ingratisque delatum! non modo dilatio malorum, quæ pro Christo feruntur, non cruciat nos neque dilacerat, sed eorum etiam adventus perterret ac distrahit. si jejunii vel alterius cujusvis pœnæ suscipiendæ tempus advenit, non modo illud tarde adventasse dolemus, verum etiam celeriter properasse culpamus; si adversi aliquid subeundum sit, non illud modo hilari vultu non recipimus, sed tristi & contracta fronte repellimus. quamobrem hoc? quia non diligimus, sed amare assimulamus; quia par pari referre non studemus, sed ingratum animum gerere non erubescimus. at nulla mihi, inquiet aliquis, patiendi facultas objicitur, qua me Christo gratum exhibeam. num saltem doles, eam à te facultatem abesse? immo tantum abest, ut doleas, nihil tibi pro Christo adversi contingere, ut etiam roges, ne profluentem ac liquidum felicitatis tuæ amnem calamitate aliqua infuscari ac retardari patiatur. itaque, si de tuo in Christum amore glorliaris, voto tuo refelleris, ac simul in pessimo ingratorum hominum numero inveniri convinceris. nam, quod est genus ingratorum tam detestandum, quam eorum, qui bene de se meritis, non modo, non rem ipsam, sed ne voluntatem quidem emetiuntur? *Ecce, ascendimus Hierosolymam.* cur inquit, *ascendimus?* quia, inquies, Hierosolyma edito excelsoque loco sita erat. bene ais, sed operæ pretium est, omisso verborum cortice, ad intima spiritualis sententiæ cubilia penetrare. quod si fiet à nobis, inveniemus, ascendendi verbo, non tam arduum ad Hierosolymam iter, quam sublime crucis fastigium quod ibidem ascensurus erat, intelligi. rem admirabilem! ita Christus, salvator noster, ad verbera, ad cruciatus, ad contumelias, ad crucem, properabat, ut si in magni cujuspiam Regni possessionem venturus

venturus esset. neque hoc novum est, neque nunc primum ab eo aures nostræ accipiunt; sed, quoties de crucis supplicio, quo afficiendus erat, sermonem instituit, toties ascensionis vel exaltationis nomen usurpavit. nam alias, *Oportet*, inquit, *exaltari filium hominis*; alias, *Cum exaltaveritis filium hominis, tum cognoscetis quia ego sum.* quid multis moror? nunquam illam ignominiam, illud dedecus, aliter, quam suam gloriam, decus, & amplitudinem, duxit. sed, rem altius consideranti, omnis plane hac de re admiratio consistet. nam, qui miratur, honestum & gloriosum esse Christo, verbera, contumelias, crucemque perferre, cur non etiam miretur, amplum & magnificum esse, cum hoste confligere, ac de eo victoriam ac triumphum referre? &, qui turpe putat, cum doloribus, contumeliis, injuriis, & cum morte, contendere, cur non etiam turpe existimat, cum adversario acerrimo promtissimoque componi? at, inquies, cum inter duos pugna committitur, uterque adversarium aggreditur, ferit, propulsat, & quantum in se est, ad interitum trudit; at, quæ pugnæ ratio fingi potest in eo, qui vulnera non infert sed accipit, qui injuriam non facit sed patitur, qui gladiis inimicorum non obstat sed jugulum præbet? at, si nulla in nos, ex ferendi patiendique alacritate, laus & gloria redundat, quid in Socrate, in Regulo, in Rutilio, tantopere vetustas admiratur & prædicat? certe isti non intulerunt aliis injuriam sed ab aliis sibi factam exceperunt, non inimicis suis restiterunt sed cesserunt, non patriam, non bona, non vitam, in judicium capitis vocati, retinuerunt, sed exilium, sed mortem, iniquissimis sententiis damnati, reportaverunt. Regulus in primis, maximos exercitus duxerat, Remp. fortiter gesserat, hostem interfecerat; sed hæc omnia, quamvis magna, quamvis præclara, obscurantur ab ea gloria, quam sibi peperit, cum à pœnis excruciatus, vexatus, ludibrio habitus, quid patientia posset, ostendit, adeo ut nemo ex veteribus paulo cordatior exstiterit, qui, si optio data esset, non se Reguli, quam Cæsaris vel Pompeji, similem nasci maluisset, qui, non ab accipienda sed ab inferenda injuria, clari ac nobiles feruntur. in quo veterum stupor, sive potius stultitia, manifesto tenetur; qui, quam in Regulo, Rutilio,

lio, Socrate, damnationem crucemque diligerent, ornarent, consecrarent, eandem in Christo contemnerent, exagitarent, odissent. quid? exilium Rutilii, quod illi immerito contigisse narratur, Sullanæ victoriæ præferetur, Christi vero ærumnæ, quibus longè ille erat indignior, non omnibus triumphis anteponentur? Socratis interitus, quod innocenti allatus fuisse dicatur, in cælum efferetur; Christi vero mors, cujus innocentiam testati sunt illi ipsi qui eum damnarunt, non qualibet honestissima vita præstantior habebitur? crux Reguli, ob conservandam fidem & jusjurandum fortiter adita, ab omnibus expetitur; crux Christi, ad liberandos homines, ultro suscepta, ab omnibus rejicietur? sed, hominum iniquitate, tanta hæc Christi cruci infertur injuria: at vero, Dei judicio, qui rerum momenta suis ponderibus æstimat, is in cælo honor, ea præmia, sunt attributa, quæ cuivis possint ostendere, nullum, ex perpessione malorum, dedecus, nullam infamiam contrahi, sed contra, æternam gloriam & famam acquiri. *Ecce*, inquit, *ascendimus Hierosolymam.* Hierosolymam, communis omnium sententia, pacis visionem interpretatur. itaque, Hierosolymam Christus ascendens, pacis otiique fines ingreditur. sed qualis sit ea pax, quam tanto ardore animi persequitur, paulo diligentius, si placet, investigemus. quæ nam sunt ea, quæ sibi Hierosolymis præsto fore prædicit? nonne verbera, flagella, crux denique? si igitur Hierosolymis, ex nominis significatione, pax invenitur, neque quidquam in eis Christus inventurus sit, præter exquisitissimas pœnas, acerbissimumque servitutis supplicium, illud sit consequens, pacem atque otium in istis rebus contineri. ô magnam Crucis dignitatem atque præstantiam! quis jam non ejus se desiderio affici sentiat, si sola pacis otiique sit custos? quamobrem fit, ut, quo quisque timidius crucem exhorreat, eo etiam longius à pacis regione discedat: ex contrario, quo quisque avidius eam exoptet, eo etiam propius ad pacis ejusdem fines accedat. &, qui semel in regnum pacis intro pedem tulit, hic etiam in possessionem hilaritatis lætitiæque venisse, pro certo existimet. nam, ubi pax regnat, ibi etiam gaudium, voluptas, & jucunditas viget. hinc est, ut D. Iacobus Apostolus varias

atque

atque diversas vitæ hujus calamitates & ærumnas, non solum ab omni mœrore luctuque vacuas esse dicat, verum etiam omnes gaudii lætitiæque numeros obtinere confirmet. *Omne*, inquit, *gaudium existimate, cum in tentationes varias incideritis.* quamobrem hoc gaudium, & tantum? à quonam fonte prorumpit? nimirum ab ea pace diffluit, qua Christi Domini crux plane redundat. cujus crucis amorem & studium, cum idem Christus conciliare discipulis suis vellet, *Tollite*, inquit, *jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* quæ cum ita sint, quis pacis, quis otii, quis hilaritatis lætitiæque cupidus, vel latum unguem à Christi cruce recesserit? quis non reliquum vitæ quod superest, in ejus amore complexuque traduxerit? Vale. x Kal. Martii CIↃ IↃ C XXXVII.

XXIV.

DE IEIVNIO QVADRAGESIMALI.

ADest jejunium quadraginta dierum, ab Ecclesia nobis indictum imperatumque; hoc est, non, ut falso ii opinantur qui, terrenis curis cupiditatibusque corrupti, sanum gustum non habent, tempus squalloris ac luctus advenit, sed dies deliciarum nuptiarumque accesserunt. Atque, ad genus eduliorum quod attinet, adeo escæ istæ, quibus hoc tempore deperditas corporis vires reparare jubemur, me juvant, ut non aliæ magis; eisque, non modo hos quadraginta dies, sed totum hunc annum, atque adeo omne vitæ meæ tempus, me oblectarem reficeremque. neque hæ mihi cœnæ, ut illi apud comicum, asperæ atque terrestres videntur, sed suaves atque cælestes existunt; ut eas mihi Deus majore aliqua suavitate refersisse videatur, quam quantam indidit illis natura. Ajo iterum, Hugo; nuptiarum dies esse dies istos jejunii. etenim, non aliàs frequentius, cælestis sponsus in animum nostrum immigrat, non aliàs uberius cumulatiusque cælestibus eam solatiis alit, vel potius educat. quamobrem illud, quod apud Matthæum Christus inquit,

Non possunt filii sponsi, quamdiu cum ipsis est sponsus, jejunare, non tam de eo jejunio interpretor, quo quis, de quotidiano victu aliquid sibi detrahens, genium suum fraudat, quam de eo, quod, absente Christo, spiritualibus epulis animus caret. tum vere est animus siccus, jejunus, inanis, cùm sponsus abest; tum satur, expletus, cum sese illius præsentia delectat ac reficit. ineamus ergo hoc jejunium alacriter; quo nulla est fortior contra animi morbos medicina, nullum adversus peccatorum vulnera malagma salubrius, nullum, ad veniam ab irato judice impetrandam, remedium præclarius, nullum, ad gratiam ab eodem ineundam, inventum illustrius. quod si mihi, tibi, ceterisque tui similibus, tanta in jejunio suavitas, ac prope delectatio, inesse videtur, nonne ex hoc conjicere potissimum liceat, esse illud homini necessarium? nonne ea omnia, sine quibus non potest hominis vita consistere, natura, præcipua quadam suavitate refersit, quo etiam cum voluptate perciperentur, neque, propter injucunditatem prætermissa, eundem ad interitum adigerent? nihilo magis jejunium, quo præsertim spiritualis vita sustentatur & alitur, sua Deus voluit voluptate carere, ne, si quid haberet suavitatis minus, negligeretur, atque in omnium odium irrueret. at vide, quam sit necessarium jejunium; ut, non secus ac corporis cibus, non una tantum anni vel ætatis parte, sed omni vitæ tempore, atque adeo omnibus diebus, sit adhibendum. Atqui in omni vita, non alia magis esca atque sagina, quam jejunio, alendam implendamque esse animam, præter ea quæ diximus, duo illa, quæ mox subjiciam, sunt argumento in primis. primum, numerus dierum, qui hoc jejunio continentur; qui numerus, non solum à Christo Domino sanctus atque solemnis est redditus, sed jam inde usque à Moyse & Elia, nimirum à lege & Prophetis, sacer est habitus. quamobrem Christus, cum in monte Thabor gloriæ suæ luce circumfusus apparuit, medius inter Moysen & Eliam est visus: quadraginta autem (totidem enim diebus constat hoc jejunium,) denarium numerum, qui numerus est ab omni parte absolutus atque perfectus, quater amplectitur; qua re, ut Augustino placet, quatuor illæ partes, in quas tum annus, tum dies, tanquam in-
membra,

membra, secatur ac scinditur, significari videntur. anni autem partes, ut palam est omnibus, sunt ver, æstas, autumnus & hiems; diei vero, mane, meridies, vesper & nox. nulla igitur tum anni tum diei pars, si sanam, si incolumem, si vegetam, servare animam volumus, vacare jejunio debet. jam vero tempus, quo Christus, jejunio operam daturus, in loca sola atque avia recessit, nonne luce clarius ostendit, quo primum tempore, jejunium amplectamur, atque in eo nos, usque ad extremum vitæ contineamus? quando Christus, propter hanc causam, solitudines & antra sequutus est? tum, quando à Io. Baptista discessit; à quo, suo jussu, atque adeo coactu, fuerat Iordanis aqua perfusus. tum, tum, inquam, unusquisque nostrum jejunio idoneus existimatur, cum, ad sacrum Baptismatis fontem, in novam vitam revocatur. nam, sicut homo, simul ac ortus est, cibo inhiat, unde se tueatur & alat; ita etiam idem, in spritualem vitam editus, jejunium diligat, quo præsertim ejus vitæ status conservatur, oportet. statim igitur post Baptismum, hoc est, ab ineunte spirituali vita, vocamur, non ad ludum sed ad laborem, non ad otium sed ad certamen, non ad risum sed ad luctum, non ad commissationes, non ad epulas, sed ad sobrietatem, sed ad jejunium. quod si quem magis jocus, voluptas, risus, & convivia, delectant, hic non eo more vitam exigit, quem susceptum, in baptismo, solemni sponsione, firmavit, sed antiquam ac detestabilem consuetudinem obtinet. quam huic dissimilis maxima illa credentium multitudo inveniebatur, quam, initio nascentis ecclesiæ, acris, vehemens, & Spiritus sancti igne succensa, Apostolorum concio Christo pepererat! qui quidem novi Christianæ religionis fœtus, quemadmodum vitam instituerint, quemadmodum mensam instruxerint, quemadmodum in omni victu cultuque sese tractaverint, petatur à Luca Euangelista, qui Apostolorum res gestas persecutus est diligentissime. ait enim de illis qui conversi essent ad Christum, quod, *frangentes circa domos panes, sumerent cibum in exultatione.* ad cujus loci interpretationem nihil à me excogitatum afferam, non meam autoritatem, quæ nulla est, interponam, sed ejus utar ingenio, qui tibi, jure optimo, summus, admirabilis, qui tibi

præ ceteris est in amore atque deliciis; Io. inquam Chrysostomum. adsis igitur, sanctissime ac doctissime præsul; cedo, quid sibi velint verba illa, *frangentes circa domos panes, sumebant cibum in exultatione.* audi illum. panis videtur mihi, hoc loco, jejunium significare, & austeram vitam. at, unde tibi venit in mentem, sic interpretari? unde, ais? quia duo ex hoc loco subveniunt, quæ mihi, ita rem esse, persuadeant; primum, sanctissimi illius cœtus probitas, pietas, religio; quo cœtu nihil ulla unquam ætas vidit, neque sanctius neque præstantius neque admirabilius. nefas enim est, suspicari, de tam egregiis pietate viris, fuisse eorum mensas magis luxuriæ ac deliciarum invitamentum, quam sobrietatis & frugalitatis exemplum. deinde, movet me in primis ea voluptas lætitiaque, quæ in eorum conviviis versata fuisse narratur. at, quæ nam potest in parsimonia ac sobrietate voluptas existere? at ea potius ex affluentia & varietate ciborum redundat. at tu tota erras via. quin discito, dilecte, quod non deliciis, sed cibis, suaviter fruamur, & quod, delicati, sunt in mœrore, non delicati, in gaudio. Hæc Chrysostomus, de primis illis Ecclesiæ luminibus, quibus, post susceptà Christianæ religionis sacra, nihil faciendum prius visum est esse, quam ut jejunam animam, jejunio corporis pascerent, ac pleniorem in dies formosioremque efficerent. tum primum se in hominum numerum venisse animadverterunt, tum primum eo cibo uti cœperunt qui vere homines decet. nam jejunium cibus est ratione utentium, refertæ epulis mensæ sagina brutorum atque ferarum. jejunium saturitati animarum prodest, maxima esca pardis, ursis, ac leonibus convenit, qui nunquam fere saturantur, nunquam satis explentur. angustum & erectum homini natura ventrem attribuit, quia ad rerum cælestium divinarumque contemplationem eundem erexit; at bestiis pronum atque amplum exhibuit, quia eas projecit ad pastum. jejunium hominem supra hominem evehit, immoderatus pastus potusque infra belluas abjicit. nonne tum Esau, ex nimia cibi cupiditate, propemodum degeneravit in bestiam, cum Iacob, ob vilissimum lentium, nescio quarum, edulium, ab eo est primogeniti jura mercatus? nonne Daniel, ex contrario, par similisque

affectus

effectus est Angelis, cum, ob jejunium trium hebdomadum, revelationem accepit à Deo? &, quod mirabile videatur, unum atque idem datum est homini à natura iter, quo se ad Angelos transferat, vel bestiis immisceat; nimirum, guttur. nam, si parce illi studeat, se Angelis inserit; si nimium indulgeat, bestiis adjungit. illinc immodicæ commeant in ventrem epulæ, ut noxiæ inde cogitationes, dicteria, contumeliæ, imprecationes, denique fœda ac mortifera verba, perrumpant. etenim, qui se immodico cibo potuque obruerint, plerunque *sepulchrum patens* fit *guttur eorum.* una eademque via tum divinæ laudes, hymni, & precationes sacræ prosiliunt, tum scurriles joci, dicteria & inutiles cantiones proveniunt; sed illa jejunium excitat, hæc ingluvies effundit. ex eisdem faucibus, & missa ex intimo corde suspiria prodeunt, & inconditæ voces cum risu, immoderatæ lætitiæ argumentum, excedunt; sed illa, dolor de peccatis, per jejunium elicuit, has vinum, largius epotum, excussit. ex eodem ore, cohortationes saluberrimæ, egregia monita ex optima disciplina & sanctissimis moribus, proficiscuntur, & damnosa consilia ac turpia eloquia prodeunt: at hæc divinarum sanctionum oblivio peperit, illa, divina monita, penitus infixa cordi, dederunt. etenim, non ita, Dei digito lex, per Moysem lata, tabulis lapideis hæsit, ut, eadem lex animis hominum, per jejunium, infigitur. jam vero, qui jejunium, utpote rem, ad eam vitam, quam in Baptismo adeptus est, retinendam, maxime necessariam, non appetit, se ipse ad spiritualem interitum adigit. in quo facit id, quod in primis natura aversetur atque refugiat, & in quo ab animantium solertia, in se ipsis diligendis tuendisque, vincatur. nam simul atque natum est animal, se diligit & ea quæ sunt conservantia ejus status, & abalienatur ab iis quæ interitum afferunt: at spiritualis homo, ex contrario, jejunium vitæ spirituali, non solum consentaneum, sed necessarium etiam, rejicit, ac studium ventris, eidem contrarium ac perniciosum, amplectitur. quid, quod voluptates istæ, quæ percipiuntur ex epulis, neque secundum hominis naturam sunt, quatenus est homo? nonne etiam ob hanc causam dignæ sunt, quæ à nobis, quantum potest, ejiciantur? quid enim tam est congruum

congruum naturæ hominis, quam beatitudo, quam Aristoteles in contemplatione constituit? at, quid contemplationi potest esse commune cum immoderato pastu potuque, quæ perstringere mentis aciem solent, ne, in rerum contemplatione, libera ac soluta vagetur? quamobrem sapienter, ut multa, Stoicorum pars maxima voluptates, in principiis naturalibus diligendi se, non posuerunt, quod multa turpia sequerentur, si natura voluptatem posuisset in his rebus quæ primæ appetuntur. quamobrem, cum, ex intemperantia ciborum, non solum Christiani munus, verum etiam hominis officium, exstare non possit, saluberrimum istud quadraginta dierum jejunium hilari lubentique animo suscipiamus, quo per illud mens nostra, bonarum cogitationum epulis saturata, ad præstandas tum Christiani tum hominis partes, alacrior & vegetior existat. Vale. VII Kal. Martii CIↃ IↃC XXXVII.

X X V.

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Neque crudele atque acerbum servitutis jugum, à spirituali Pharaone cervicibus nostris impositum, dejici, neque Paschatis suavitas, cordis palato, degustari poterat, nisi antea spiritualis Ægyptus, hoc est, incontinentiæ vitia, desererentur, & lactucæ silvestris amaritudo, oris sensu, perciperetur. horum utrunque, anniversario quadraginta dierum jejunio, nuper inchoato, consequimur; & amaro acerboque animi sensu perfundimur. etenim jejunium, si ad intimam ejus rationem penetrare lubido est, nihil est aliud, nisi amaritudo quædam, sive acerbitas animi, ab abstinentia carnium vitiorumque contracta. Quoad populus Israël in Ægypto sedem suam ac domicilium habuit, quoad ibi se carnibus ad saturitatem explevit, non modo servitutem non exuere, sed ne leviorem quidem efficere eam potuit: at vix, impiæ ejus regionis fines excessit, ejusque nefarias epulas à se rejecit, cum & perfectæ libertatis munere potitus

titus est, ac, demisso cælitus pabulo, omnem cibi suavitatem in se habente, innutritus. tantum illi bonum, Ægypti relictio, & carnium abstinentia peperit. Verum fructus, qui ex lactucis agrestibus jejunii percipitur, non est unus ac simplex, sed varius ac multiplex; de quo, ceteris omissis, pauca quædam exponam his litteris. Ac primum, ex jejunio, in veterem illum hominis honorem & statum reponimur, unde nos intemperantia, præcipiti lapsu, devolverat. sed quonam præceps actus est homo? inter bestias; quarum nulla est major voluptas, quam cibi potusque. Etenim *cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* nam quædam sunt voluptates, ita homini communes cum bestiis, ut tamen pecudum magis quam hominum propriæ censeantur; cujusmodi sunt eæ, quæ ex tactu gustatuque ducuntur; quibus ita pecudes addictæ obligatæque sunt, ut plane earum imperio regantur; quo fit, ut, si quis eas avidius persequatur, hic nihil propemodum se à bestiis distare declaret. quin etiam, ut recte Aristoteles docet, ex immoderato earum usu, incontinentiæ & intemperantiæ labes & crimen incurritur; ex aliorum vero sensuum oblectamentis non item. quamobrem, si plurimum unguentorum suavitate delecter, si florum colore ac pulchritudine tenear, aut colligam oculis innumerabiles ejusmodi voluptates, si nervorum tibiarumque cantibus, si sonorum vocumque varietate commovear, non intemperans, nec incontinens, sed urbanus atque elegans dicar: at, si me vino ad ebrietatem, aut epulis ad fastidium onerem, aut sim effusior in Venerem, continuo incontinens & intemperans audiam. quamobrem hoc? quia voluptates illæ sunt hominum, istæ ferarum; illæ nos ab hominum societate non abstrahunt, istæ inter pecudes fœde conjiciunt. at, qui se per intemperantiam bestiis immiscuit, haud ferme ab earum consuetudine victuque distare intelligitur. nam facilius est ascendere ab hominibus ad Angelos, quam emergere ex bestiis ad homines. ab his igitur sordibus, in quas homo ex ebrietate & crapula sese conjecit, per jejunium eripitur, & majorum suorum regno collocatur. de quo genere hominum David verba faciens, ita Deum alloquitur, *Homines & jumenta salvos facies; filii*

autem

autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. distinguit inter homines & filios hominum. nam sunt quidam homines, non re sed appellatione, qui sunt etiam jumenta; nimirum ii, qui totos se escis ac potionibus, aliisque impuris corporis voluptatibus, dediderunt: sunt & alii homines, digni hoc honore & nomine, qui omnes suas spes & cogitationes collocatas habent in Deo; atque hi filiorum hominum appellatione signantur. At quomodo eos homines Deus, qui à dignitate hominis recesserunt, & in vilitatem jumentorum descenderunt, in veterem statum restituit? jejunio. hac eis ratione succurrit, qui, tanquam Circæo aliquo poculo in sues conversi, hominis aspectum honoremque perdiderant. deinde jejunium, peccatorum fontem extenuat, ac prope desiccat. nam, quemadmodum, ex Apennino, fluminum, sic ab immodico cibo sunt vitiorum facta divortia. neque id mirabitur, qui parentum nostrorum veteres fuerit ac miserabiles casus recordatus. unde, primum, illud funestum calamitosumque ipsorum scelus, quo non modo se ipsi, verum etiam posteritatem suam, in perpetuum contaminarunt, effluxit? unde nostra hæc tam vehemens tamque propensa ad omne genus iniquitatis inclinatio, nisi à cupiditate vetiti illius pomi, manavit? sed cum omnium flagitiorum velut torrentes à vitio gutturis, tanquam à fonte, descendant, tum illa quatuor in primis vitia largius effusiusque decurrunt. primum, superbia, quæ est radix omnium vitiorum omniumque malorum. non inerat Adæ, primo homini, superbia; sed tum eam mente concepit, cum induxit animum, ferale illud mortis pabulum ventri committere. non antea, mater omnium Eva, est ausa spiritus attollere, ac divinum principatum appetere, quam manus, atque os vetitum ad pomum admovit. tum, ex impia serpentis persuasione inflata, quadam quasi divinitate se esse imbutam existimavit, cui veterator ille dixerat, *Scit Deus, quod, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri; & eritis, sicut dii, scientes bonum & malum.* sed quis non videat, tum præsertim equuleos ferocius agere, imperium detrectare, sessorem excutere, cum bene pabulo accepti, atque ab opere & labore soluti, feriantur? ita etiam non est mirandum, si efferatur, si infletur, si divinæ legis imperium

perium recuset, qui ad mensam plenam, veluti jumentum, deligatus, quotidie affatim, quod edat, accipiat. tum, ab hoc capite, non minore etiam vi, quam superbia, crudelitas in pauperes funditur. vetus est illud verbum, quod dicitur, pinguem ac plenum, miseri ac jejuni fame non frangi. sed quid proverbia persequimur? est ante oculos, divitis illius Euangelici sævitia, qui exquisitissimis epulis quotidie mensam implebat, verum adeo esurientis mendici, qui ad januam stabat, non miserebatur, ut ne micas quidem panis, ex ipsius mensa decidentes, poscenti concederet. neque potest aliter esse; nam, ut ille ager est ad producendas oleas aptissimus, qui sit ex nativo robore jejunus ac siccus; ita etiam ille victus, ad tuendam alendamque caritatem, idoneus in primis habetur, qui sit, ex stabili continentiæ proposito, parcus ac tenuis. quid dicam de lacrimis, purgationi fœcunditatique animarum adeo necessariis? nonne ubertim ex frugalitate nascuntur, ex cibi vero copia confestim arescunt? si fontem lapidibus, vel sabulo injecto, præcluseris, vel potius obstruxeris, stulte tibi aquam ab eo fundi deposcas. nec minus inepte ab eo vim lacrimarum expectes, qui se vino ciboque totum obruerit. ut enim nusquam, nisi in cavernis terræ, aër in aquam commeat, atque inde ad irrigationes agrorum aliosque vitæ usus emanat; ita etiam, nisi in inanitate, ex jejunio conflata, inclusus spiritus densatur in lacrimas, & ad tribuendam animæ fœcunditatem effunditur. Iam vero libido omnisque impudicitia, non ne ex saturitate atque ebrietate concipitur? *Saturavi eos*, inquit Deus, *& mœchati sunt*. ut enim incendium à fomentis excrescit, ita etiam ex vino libido fit amplior. quamobrem, qui, sæviente in venis libidine, frequentes in se potiones ingerit, perinde facit, ut qui exortam domi suæ flammam, tœda, stuppa, pice, aliisque aptis ad incendia rebus, conetur exstinguere; adeo enim eam non opprimat, ut etiam majorem efficiat. his igitur vitiis, à nobis enumeratis, aliisque compluribus, jejunium originem causamque præcidit; qua sublata, ipsa etiam vitia tollantur necesse est. Postremo, jejunium efficit, ut ad eam gentem ac populum pertineamus, quem sibi peculiarem Deus elegit. nam quid est causæ, cur Deus Israelis potius, quam

Esau dici maluerit, cum, *Ego sum*, inquit, *Deus Iacob, ego sum Deus Israel*? ideo fortasse, quod temperantia unius delectatus sit, intemperantia alterius offensus, qui, ob vile, nescio quod, lentis, ut ajunt, edulium, paternæ hæreditatis jure migravit. quamobrem, non immerito, Israelitarum numero ac loco habendi sunt ii, qui nihil extraordinariis gulæ cupiditatibus concedendum existiment; ad Esau autem referendi, qui nihil eisdem denegare sustineant. atqui, si paschalis festi lætitiam, populus Dei, hoc est, Israelitæ, soli sibi vendicant, sane hujus tanti boni, ii solum compotes fient, qui indicta jejunia studiose suscipiunt, ac persequuntur alacrius; Esau autem similes, nimirum ii qui nulla ejusmodi lege teneri se putant, ab ejusdem fructus possessione removebuntur. Illud autem animadvertendum est, quod corpori tantum jejunium indicitur, animæ vero nulla ejusmodi lex definitur, immo præcipitur, ut iis epulis, quibus ea maxime sustentatur atque alitur, hoc præsertim tempore, imbuatur expleaturque. at, quænam sunt istæ epulæ, quibus anima innutritur, & unde quodammodo vitam ac spiritum ducit? eæ sunt, quibus ipsemet Christus, in Euangelio, ali se recrearique commemorat; nimirum æterni Patris, qui in cælo est, voluntatem & jussa perficere. *Meus*, inquit, *cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, qui in cælis est.* Quamobrem danda est à nobis opera quam diligentissime, ut, ad divinæ legis normam, vitam moresque formemus, atque hoc pabulo animam pleniorem formosioremque reddamus. sed accidit, nescio quo pacto, ut, cum constemus ex animo & corpore, de corpore præter modum soliciti, animi prope curam abjiciamus. nam corpus, si fame laboret, delicatioribus interdum, quam facultates nostræ ferant, obsoniis fovemus atque reficimus, &, si nauseet atque fastidiat, novis rarisque saporibus conamur in morsus erigere: miseram vero animam, inedia non semel enectam, à spiritualibus alimentis fere vacuam inanemque relinquimus. quod nulla ratione, à nobis factum videtur; nam si, servitus corporis, imperium est animi, cur hic servorum in loco habetur, illud regis honore cultuque tractatur? non mirum est igitur, si corpus, nitide atque eleganter habitum, tantam arrogan-

tiam,

riam, tantos spiritus, sumat. nempe facit id, quod ii, qui sunt obscuro genere orti; quibus si paululum quid rei vel honoris accesserit, efferuntur animi. corpori igitur animoque, pro uniuscujusque meritis & conditione, honor mercesque solvatur; atque animus, utpote dominus, in omni cultu victuque large liberaliterque tractetur; corpus vero, tanquam vilissimum mancipium, ac domino minus obsequens, jejuniis, verberibus, aliisque poenis coërceatur. Vale. VI Kal. Martii. CIↃ IↃC XXXVII.

XXVI.

DOMINICA II IN QVADRAGESIMA.

Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem ejus, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Vt omnibus semper rationibus, tanquam machinis, humanæ mentis fastigium Christus oppugnat ac deprimit! neque id solum verbis exsequitur, verum multo magis exemplo, atque adeo re ipsa. nam, si aliquid sibi honorificum atque gloriosum dandum sit, loca avia atque secreta, ac præterea hominum silentium, exigit; sin autem se indignum aliquid perferendum, celebritatem, ac prædicationem hominum eligit. non vagabitur oratio mea longius, sed iis ipsis rebus definietur, quæ hoc Euangelio continentur. Postulabat redemtionis nostræ ratio, ut Christus Dominus summam illam gloriam, quam sui dumtaxat animi finibus coërcebat, in corpus transfundi permitteret. quare, neque quidquam ipsi ad honorem illustrius, neque aliis ad aspectum jucundius, accidere poterat. primum, ardui fastigium montis ascendit, ferarum magis quam hominum itineribus triti; tum, secum paucos ejus rei testes adduxit; postremo, vetuit eisdem, ut, quod oculis percepissent, ne antea in vulgus efferrent, quam ipse extremo affectus supplicio revertisset ab inferis. *Visionem,* inquit, *quam vidistis, nemini dixeritis, donec filius hominis à mortuis resurgat.* ex contrario, infelix, ut veteres ajebant, lignum, tetrum servitutis supplicium, refertum

omnibus ignominiæ notis interlitum, subiturus, clarissimam totius orientis urbem elegit, celeberrimum totius anni diem, ingentem hominum frequentiam adamavit, quæundique, diei festi celebrandi gratia, Hierosolymam convenerat; eamque crucis ignominiam, qua affectus fuerat, passim toto orbe terrarum celebrari divulgarique præcepit. nos autem, quam longe à Magistro nostro discedimus! nam, si paululum quid, à dignitate nostra alienum, subeundum sit, tenebras & latebras sequimur, vota facimus, operam damus, ut quam minime multi sint dedecori nostro conscii: at, si honor aliquis, si magistratus quispiam sit ineundus, si honestum aliquod facinus edendum, si aliquid ex nobis dandum quod laudem habeat, tum vero conventum hominum lucemque requirimus, tum magnis præmiis allicimus, qui voce, vel scriptis, earum rerum famam, ad absentes vel posteros mittant. tantum occultandæ ignominiæ studium, tantus ostentandæ felicitatis ardor, apud nos viget. Verum, in hoc honore, quem corpori suo Christus adhibuit, multa licet animadvertere, quæ documento sint iis qui honoribus inhiant, quanto cum periculo rem omnium difficillimam atque gravissimam, concupiscant. ac primum, excelsum, arduo ac difficili ascensu, se suosque duxit in montem; *duxit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos.* Sed cur magis delectatus est montis cacumine, quam æquata agri planicie? nimirum, ut ostenderet, non secus ad honores & dignitates, quam in altum atque editum locum, ascendi, in quo, præsertim nobis, misera magistratuum conditio in oculis pæne defigitur. nam, quemadmodum, qui montis cujuspiam verticem tenet, omnibus ventis ludibrium debet, omnium oculis spectaculum præbet; ita etiam, qui honoris vel dignitatis cujuspiam fastigium obtinet, ab omnibus ventis invidiæ circumflatur, ab omnium hominum oculis attente ac superstitiose suspicitur; adeo ut, si turpe aliquid ex sese vel vitiosum ediderit, non possit acutissimas eorum acies effugere, qui toti sunt in ejus contemplatione defixi. id quod in primis candor ille nivis expressit, qui Christi Domini vestimentis adhæsit. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix.* nam, quid est causæ, cur ea, quæ, à superioribus,

rioribus, superbe, avare, libidinose, ac crudeliter fiunt, latere non possint, nisi quia ejusmodi vitiorum maculæ, honori illi, tanquam vesti cuipiam candidæ, inuruntur? habet id color albus in primis, ut facilius sordes accipiat, & expressius referat. quamobrem, sicut ii, qui candido utuntur amiculo, nihil diligentius, vel potius superstitiosius, cavent, quam, ne quid amiculum illud sordium contrahat; ita etiam, quibus aliquis honor incumbit, nulla major cura insideat oportet, quam ut ea omnia devitet, unde non modo aliquod in ipsos crimen, sed criminis etiam suspicio, redundet. Sed, quid esse dicam causæ, cur Christi vestimenta, non lanæ, non lactis, vel alterius cujuspiam rei, sed nivis, candorem contraxisse dicantur? at ego id propterea factum existimo, ut significaretur, nihil æque, ad refrigerandam in nobis caritatem, valere, ut opes & divitias, quibus abundant atque adeo circumvestiuntur ii, qui beati putantur. etenim, abundantiâ divitiarum, refrigerari caritatem, idemmet Christus ostendit, cum inquit, *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.* abundantiam divitiarum, iniquitatem appellat; quo etiam nomine aliàs nuncupavit eas, cum dixit, *Facite vobis amicos, de mammona iniquitatis.* ac merito, iniquitatis vocabulo, ea Christus Dominus afficit, quæ æquabilitatem amoris & communis juris, inter nos ac proximum destruunt, atque, ex utique plana, distinctam montibus & convallibus vitam, tanquam viam, efficiunt. sæpius enim, quam sit utile Rebuspub. usu venire videmus, ut, accessione divitiarum vel opum, ea caritas minuatur quæ proximo debetur, atque ea augeatur qua nos & nostra complectimur. ô rem miram & incredibilem! eadem res, in aliis habet rationem frigoris, in nobis ardoris, in aliis vim obtinet nivis, in nobis incendii. dicam planius; in sublevandis necessitatibus pauperum, nivis nobis indit algorem, in augendis nostris commodis. ignis ardorem attribuit. & sane, si licet similitudines addere, nihil alienum à natura molitur. nam, quemadmodum, hibernis mensibus, nix, de cælo decidens, aliis frigus, terræ vero, cui ea inhæret, calorem ingeminat; ita etiam opes & divitiæ, cælitus nobis immissæ, contemtum in pauperes, & in nosmet ipsos amo-

rem, ingenerant. ſed, quid poteſt efficere, ut hæc à nobis bona dilabantur, & in pauperes diffluant? nihil, niſi *caritas Dei*, quæ *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Ieſum Chriſtum.* ut enim ſolis calor ac lumen, adſtrictam in glaciem nivemque pluviam eliquat ac disjicit; ita etiam caritatis ardor ac ſplendor, coactas, & tanquam gelu quodam hærentes nobis, divitias diſſolvit atque dispergit. nempe, divino caritatis lumine tactus erat ille, qui ut ſanctus cecinit David, *diſperſit, dedit pauperibus.* quod autem perniciofum ſit, divitiis affluere, nec lumine caritatis incendi, quæ caritas in pauperum uſus bona illa diſtribuat, in hac ſua transfiguratione Chriſtus oſtendit; qui cum nivis candorem veſtibus ſuis induxiſſet, in quo divitiæ circumfluentes ſignificantur, ori deinceps ſolis nitorem adjecit, qui caritatem, ſuperfluas inter egenos opes dividentem, exponit. qua in re illud quoque animadvertendum eſt, quod hunc ſplendorem in ore conſtituit, quod eſt quædam quaſi arx atque ſedes ſenſuum fere omnium, ut oſtenderet, aures, oculos, atque ora ſuperiorum, ſive in audiendo ſive in aſpiciendo ſive in narrando, ceteris lumen eſſe debere, hoc eſt, nihil eos fas eſſe in aures ſuas, niſi auditione dignum, admittere, nihil oculis, niſi pudicum & ſanctum, accipere, nullum, niſi ſanctum, ex ore dictum emittere: adeo ut, in omnibus dictis factiſque, perinde inferiorum igniculos ad virtutem incendant atque augeant, ut ſol exilia ſidera ſuo lumine luſtrat ac complet. nam, quæ eſt ratio, cur vulgus hominum, ſæpe oculis, auribus, atque ore, tot tantaſque cupiditates concipiat, niſi quia recto ſuperiorum exemplo, tanquam lumine, deſtituuntur? vident, eos, qui cupiditates ipſorum frangere deberent, cupiditatibus eiſdem teneri; vident, in muliere, in gemma, in ſigno, in tabula picta, ſtupidos ac defixos hærere; audiunt, eos, ore ſuperbo ac laſcivo, procaces impuroſque ſermones evomere; quid ergo? idem ſibi licere, quod illis, exiſtimant; quibus eo etiam pejores evadunt, quo facilius vitia, quam virtutes, arripimus, & exprimimus imitando. Sed, qua nam ratione Principes aſſequentur, ut in omni virtutum genere ſint ceteris lumen ac ſpecimen? ſi videlicet Moyſen & Eliam, qui cum Chriſto loquuti traduntur, ad colloquium

quium admiserint: *Apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes*; quorum alter, vita functus, mortis necessitatem ante oculos ponit, alter, Christi adventum præventurus, extremi judicii memoriam in animum revocat. neque, ut omnia quæras, quidquam invenias, quod tum Rerumpub. rectores, tum alios, tam in officio contineat, quam terror mortis atque judicii. unusquisque igitur in suis felicitatibus Moysen & Eliam adhibeat, quæque ab eisdem traduntur, attente percipiat, diligenterque memoria retineat. jam enim non erit verendum, ne intumescat, ne efferatur, ne libidines suas in rebus pulchris vel pretiosis effundat. postremo, cavendum est illud, quod extremo loco Christus præcipit ut fugiamus, cum dicit, *Visionem, quam vidistis, nemini dixeritis*; hoc est, ne virtutibus ad ostentationem utamur, neque boni aliquid, promerendæ hominum voluntatis gratia, vel aucupandæ popularis auræ causa, faciamus, sed, amore recti studioque, bonitatem & virtutem amplectamur. hoc interest inter eum, quem ambitio & gloriola ad recte faciendum impellit, eumque quem Dei amor, rectique voluntas, diuturna officii magistra, ad virtutis studium inducit, quod ille tam diu bonus est quam diu frequentia non deest, ubi autem à corona deseritur, continuo ad ingenium redit, hic, quo minus multis testibus cernitur, eo attentius in uno virtutis studio dies noctesque urgetur; ille tanquam mercedem recte factorum, desiderat gloriam, hic, ex bonis operibus, utpote imperfectis, judicium & damnationem exhorret. neque tamen, qui est propter divitias honoresque conspicuus, theatro servire non debet in quo versatur, sed debet meminisse, non illud sibi ad plausus captandos, sed ad plurima ac præclarissima omnium virtutum exempla præstanda, esse commissum; denique, si male transactis suis partibus discesserit, idem sibi eventurum, quod malis olim comœdis solitum erat accidere; nimirum, ut, plagis ac verberibus multis affectus, damno ignominiaque multetur. hæc si in memoria semper habuerit, omnes partes ætatis, tanquam actus, sicuti egregius Poëta, bene ac laudabiliter transiget, neque committet, ut, velut iners actor, male dignus existimetur. Vale. Pridie Non. Martii CIↃ IↃ C XXXVII.

XXVII.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

Erat Iesus ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum. Arduum atque difficile humanæ redemtionis opus, quod Christus ad se receperat, strenuus adit, atque invasorem nostræ libertatis, Dæmonem, loco, quem sibi munierat, voce deturbat ac dejicit. *Erat*, inquit Lucas, *ejiciens Dæmonium.* quo facto, quis dubitat, quin ejus opes corruerint? unde audacter Christus, paulo ante, quam omnibus copiis, in cruce, cum illo decerneret, *Iam*, inquit, *princeps hujus mundi ejicietur foras.* nimirum, quod hic gestum esse narratur, adeo eum concusserat, ut nihil jam reliquum esse videretur, nisi ut, immanissimus prædo, tyrannide penitus exueretur. verum ii, qui præsentes aderant, rationis totius ignari, tam admirabilis rei causam in ipsum Dæmonem rejiciebant. ita enim loquebantur: *In Beelzebub, principe Dæmoniorum, ejicit Dæmonia.* ridicule. nam, quis sibi ipse inimicus est? quis sua præsidia, suas opes, adversario tradit? nemo. necesse est igitur, ut, qui detruditur ejiciturque, ab aliqua alia majore vi, detrusus fugatusque esse videatur. si fortior illo, superveniens, vicerit eum, universa ejus arma aufert. quis jam Dæmonem non irrideat atque contemnat, cui erepta esse arma de manibus audiat? universa ejus arma abstulit Christus. unde fit consequens, primum, neminem deinceps ab hoc hoste superari posse, nisi qui, sua voluntate, eidem se dediderit, & sua cum illo arma conjunxerit, tum ei, qui in illius insidias devenerit, facile esse, hostis, multum debilitati, divino auxilio, manus effugere. quod si quis adhuc devinctus teneatur, non adversarii potentiæ, sed suæ ipsius inertiæ nequitiæque, causa tribuatur. immo, nullam Paulus Apostolus ait spem salutis reliquam esse illi, qui, captus à Dæmone, malit vinctus asservari, quam ex catenis eximi. *peccantibus*, inquit, *voluntarie, jam non datur pro peccatis hostia, terribilis autem expectatio judicii.* quid ais, Apostole? si nullum est pecca-

peccatum tam fœdum, tam immane, tam atrox, quod expiari non possit, si nihil nobis fraudi datur, quod præter voluntatem eveniat; cur, primum suam expiationem peccantibus adimis? deinde, cur peccata distribuis inter voluntaria ac non voluntaria, atque hæc posse hostiis expiari dicis, illa non item? apex Theologorum Thomas Aquinas, docendi gratia, duplicem peccanti voluntatem assignat, antecedentem unam, consequentem alteram, atque de iis Paulum Apostolum loqui testatur, qui, antecedenti voluntate, ad peccandum accedunt; quos esse ait indignos, qui ullis hostiis veniam obtineant. nam in omni injustitia permultum interest, utrum quis perturbatione aliqua animi, quæ brevis est & ad tempus, an consulto & cogitato, labatur & cadat. nam si motu aliquo animi, tanquam æstu quodam, abreptus, in aliquod peccatum abstrahatur, tum voluntate consequente peccat, hoc est, incidit in crimen, de quo antea non cogitabat, atque, simul ac motus ille consedit, statim, Deo juvante, consurgit, & ad frugem, ut dicitur, bonam revertitur: si vero nulla nova atque improvisa vi animi pulsus, sed proposito ac voluntate, antea suscepta, in lutum sordesque peccati sese conjiciat, tum voluntate antecedente delinquit. nam toties paratus est ad peccatum vela dare, quoties aliquis ad illud flatus ostenditur. at, qui ita animatus est, vix unquam ex peccati luto evellitur, neque, quoad statutum ac deliberatum habet in vitiis hærere, ullo expiari sacrificio potest. Verum hæc, quæ à nobis dicuntur, cum Aristotelis doctrina mire conveniunt, qui negat, posse quemquam sui ipsius pœnitere, qui ad pravam aliquam consuetudinem, perpetua peccandi voluntate volvatur. nam perinde est finis in moralibus, ut in ceteris studiis principia, quæ vocant, ut enim, qui artis cujuspiam principiis non assentitur, in iis, quæ sunt ejus artis, semper aberret necesse est, eo quod aliis, magis notis, in viam revocari non possit: ita etiam, qui, ad vitam instituendam, alium sibi finem proposuit præter honestum, in eoque mente & cogitatione defixus inhæreat, inemendabilis existat oportet. nam, qua ratione erit fortis, qui dolorem, summum malum existimat? quomodo temperans, qui voluptatem summum bonum esse constituit? quam

diu ille dolorem in rebus pessimis duxerit, tam diu timidum ac pusillum animum gesserit, quam diu hic voluptatem in rebus maxime expetendis collocaverit, tam diu in luto voluptatum inhæserit. quamobrem sanctus David, nihil tam à Deo orabat, quam, ne permitteret, ut ipse sua se sponte Dæmoni traderet. *ne tradas me,* inquit, *à desiderio meo peccatori.* non enim orabat, ut peccatori omnino ne traderetur; etenim, non tam hoc erat metuendum; siquidem etiam Christus traditus est in manus impiorum, quibus apud Lucam dixit, *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; sed, ne traderetur à desiderio suo, hoc est, ne à voluntate sua eidem traderetur. atque id formidandum erat maxime, id maxime pertimescendum. sed quid miramur, si illi, qui tam turpem deditionem fecerit, plerunque à Deo non subveniatur? prope dixerim, factum iri injuriam Dæmoni, si ipsi eripi tentetur, qui sua se voluntate eidem in servitutem addixerat. nam justi imperii formam tyrannus propemodum obtinet, qui volentibus jugum imposuit. sit igitur fixum atque statutum in primis, nullum, te invito ac repugnante, ab humani generis hoste tibi posse damnum vel malum obtingere. verum, non satis est, amicitiam cum eo diremtam habere, sed propterea requiritur, ut amicitia cum Christo jungatur. nam æque Dæmonis partium habetur, qui quietus sit, atque ille, qui palam cum eo societatem fœdusque contraxerit. profuit aliquando non nemini, in seditionibus, à nullius parte stetisse, belloque abstinuisse: at hîc longe aliter accidit. nam, si quis Christo non se totum addixerit, suamque eidem operam miles in bello navaverit, eodem numero locoque censebitur, quo ille, qui intra hostis præsidia permanserit, ac pro illo arma susceperit. hoc Christus ipse palam edixit, cum ait, *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Nihil tam Deus à nobis, quam arctam & caritatis nexu devinctam cum ipso conjunctionem efflagitat. ad quam conjunctionem significandam, multis ille similitudinibus utitur, sed duabus in primis; videlicet primum, humani corporis exemplum ante oculos statuit, quod pluribus ex membris inter se aptis connexisque conflatur; deinde, plurium, in unum quasi corpus coitio-

coitionem conspirationemque proponit. ac primo, postulat ab iis Christus, qui ad ipsum pertinent, ut perinde inter se copulentur ac multa membra ad unum corpus constituendum inter se coalescunt atque cohærent; &, in hoc corpore, capitis sibi partes exposcit, unde, ad ipsos, spiritus ac vita emanet ac profluat. immo, quod est mirabilius, non satis habet, hoc tam arcto conjunctionis nexu eisdem adnecti, sed arctius etiam vinculum optat, nimirum simile illi, quo ipse ac Pater unum existunt; quam unitatem postulavit à Patre, supplicibus illis ac demissis precibus, *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* ut enim ipse & Pater unum sunt, unius communione naturæ; ita etiam ex se suisque unum fieri postulat, conspiratione voluntatum animorumque; quo nexu nullus ne excogitari quidem potest adstrictior. Quæ cum ita sint, qui Christo non adhærescit, quamvis à Dæmone se dicat esse sejunctum, adversariorum Christi numero locoque habebitur. ex duobus filiis, quos Abraham suscepit, ille, qui, ex justa erat uxore procreatus, in spem hæreditatis paternæ, domi finibus continetur, alter vero, ex ancilla genitus, jussus domo migrare, in alienas regiones ejicitur: totidem etiam Deo, cujus similitudinem Abraham referebat, filiorum sunt genera; unum eorum, quibus æternæ hæreditatis jura servantur, qui tanquam membra, inter se apta & cohærentia, unum cum Christo corpus, cujus est ipse caput, efficiunt; alterum eorum, qui, nulla cælestis hæreditatis spe præditi, tanquam membra, capiti Diabolo connectuntur. &, quemadmodum is, qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui secundum spiritum, in lucem exierat; ita etiam improbi, quorum caput est Diabolus, à viris justis probisque, perpetuo & capitali odio dissident. neque mirum videri debeat, quod pravi unum cum Diabolo corpus efficiant; nam, si ad eum, qui, sine veste nuptiali, in convivio deprehensus fuerat, animadvertamus, plane ita rem esse comperiemus. etenim, cum pater familias, in vincula & in tenebras eum rapi, jussisset, *Multi,* inquit, *sunt vocati, pauci vero electi.* quid est hoc, quod dicit? plenum erat convivium claudorum, cœcorum, & cujusvis generis hominum; ex his

unus ejicitur, ceteri pene innumerabiles retinentur; ille vero paucos eligi, multos rejici dicit. vix nodus hic expediatur, nisi in illo uno corpus improborum, qui probis superiores sunt numero, sub capite Diabolo, intelligatur. sed ut eo revertamur unde paululum digressi sumus, duo omnino sunt genera filiorum Dei, unum eorum, quos ille dignos fecit partis sanctorum in lumine, alterum eorum, quos, suo à conspectu seclusos, æternis tenebris suppliciisque habet addictos. nullum est genus medium interjectum inter hæc duo. utrumvis elige; aut totum te Christo conglutina, aut totum Diabolo insere. nam, qui non est cum Christo, contra Christum est. Deinde, quod secundo loco proposueram, numerum ac multitudinem suorum Deus, cœtus & coitionis nominibus, vocat; sed cum hoc discrimine, quod veteris Synagogæ homines, congregatos dumtaxat à se se, nos vero etiam convocatos, affirmat. in quo Ecclesiæ nostræ dignitas ac splendor mirum in modum elucet. quæ Ecclesia vere ex hominum numero constare prædicatur: nam hominum est, convocari; pecudum, congregari; unde pecudum acervus, grex dicitur. & sane, veteres illi homines, pecudis pene numero erant apud Deum, quos ille, ad se colendum, olei, vini, ac frugum præmiis alliciebat; nos vero, tanquam homines, cælestium bonorum spe certa, sibi conciliat. quam magnifice, de se Paulus Apostolus prædicat, cum ait, *Paulus, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium.* nimirum gloriatur, se fuisse à Deo, ex Hebræorum numero, tanquam ex aliquo grege, sejunctum, ad promulgandum inter gentes Euangelium. verum, sive gregis sive conventus nominibus Christi cultores designentur, perspicuum est, neminem Christo posse conjungi, qui non intra ejus claustra & parietes contineatur, cum idemmet dicat, *Qui non colligit mecum, dispergit.* Postremo, quamvis Dæmon exutus sit armis, non despondet animum, non abjicit; verum, ad nos oppugnandos, longe iratior instructiorque descendit. nam *assumit septem alios spiritus, nequiores se; & ingressi habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* septenario numero universa Dæmonum turba significatur, ad unius hominis expugnationem traducta atque translata. quamobrem acerri-

acerrimum ac difficillimum nobis bellum impendet. nam, quid est obsessis tam metuendum, quam innumerabilis hostium multitudo? vix enim ita undique muniri oppidum potest, ut, adversus eorundem irruptiones, satis sit ex omni parte septum & clausum. quo fit, ut nulla clausis quietis pars detur, nulla intermittendi laboris facultas accedat. semper necesse habent in armis existere, vigilare, munitiones circumire, ac fidis custodibus portas tuendas servandasque committere. nobis vero, non aliunde magis insidiæ proditionesque timentur, quam ex quinque corporis sensibus, qui sunt tanquam portæ, unde hostibus aditus in nostrum animum pateat, ac, nisi fidis custodibus committantur, intro in illum hostes irrumpent, ut, quod David rogabat ori suo, cum diceret, *Pone, Domine, custodiam ori meo*; ceteris etiam sensibus orandum sit, petendumque à Deo, ut omnis per eos nostris ad nos hostibus aditus præcludatur. Verum, ut institui dicere, non est hic hostis magnopere metuendus; fractus ac debilitatus est, Christi victoria; præsto sunt divina præsidia, quæ nemini deerunt, nisi illi, qui à se prius ea dimiserit; non erit, hosti, victoriæ locus, nisi si quem illi aperuerimus. nostra stultitia confidit, hac ille ferocius agit. ne, obsecro, committamus, ut adversus nos ipsos proditionis insimulemur; immo nosmet nostri misereat, ac meminerimus, quo crudelitatis, hostis victor iratusque, progredi soleat. nam, si ille nostri potitus fuerit, quid reliquum est, nisi, ut jugum, superiore gravius, accipiamus, & ut fiant novissima nostra pejora prioribus? sed, jam epistola, sive malis orationem, id, quod minime volui, in volumen excrevit. Vale. Prid. Idus Martii CIↃ IↃC XXXVII.

DO-

XXVIII.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum multitudo magna. Quantum distat humanitas & benignitas Salvatoris nostri Iesu Christi ab hominum iniquitate atque sævitia! Plerique hominum eos, quos servorum numero habent, fere nunquam feriatos esse permittunt, sed, perpetuis laboribus exercitos defatigatosque, ab onere vinci opprimique patiuntur: at Christus, quos ad numerum suorum adscribit, non modo gravia & intolerabilia subire non cogit, sed, levi aliquo labore districtos, sublevat, solatur, ac reficit. illi miseros, quos sibi habent obnoxios, clamantes, ac præ angustia spiritus gementes, non audiunt: at Christus, suis antea occurrit, quam ipsorum preces & vota percipiat. illi, suis tantum commodis intenti, rationes aliorum parvipendunt ac negligunt: at Christus, nihil de se solicitus, omnia ad utilitates aliorum refert. Hæc tam admirabilis Christi benignitas non potest ita explicari verbis, ut re ipsa idem ostendit, eo facto, quod, hoc capite Ioannis, exponitur. De quo anteaquam pauca breviter dico, egregiam eorum hominum virtutem, quos Christi liberalitas complexa est, strictim attingam. hominum multitudo, ad quinque millia, nullius cibi cupida, sed Christi sermonis avida, ad ejus se ductum applicuerat; ac primum, nullam commeatus rationem habuerat. sunt enim multi, qui se Christo libenter adjungerent, sed vellent bonis omnibus circumfluere; neque solum ea congerunt, quæ sunt victui necessaria, verum multa etiam adjiciunt superflua, & iter facientibus gravia atque molesta. multæ enim sarcinæ non adjuvant sed onerant viatorem; itaque impedimenta vocantur, quod sint properantibus impedimento. at non hos sibi Christus comites expetit, impeditos, ac graves; sed expeditos ac leves, adjungit. unum dumtaxat sarcinæ genus asseclis suis non adimit;

suam

ſuam ipſorum videlicet crucem. atqui, ſe Chriſtum ſequi conſtituiſti, crucem tuam quantamvis tolle, tibique in collo atque in humeris ſtatue. immo ſine hoc onere in hunc comitatum ac numerum ne accedas. non enim dignus eſt Chriſti ſocietate, qui ab ejus moribus cultuque diſſideat. nam, *qui*, inquit, *non tollit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus*. neque inde onus aut labor aliquis eſt pertimeſcendus, unde labores omnes habent ut leviores exiſtant, & unde animus, à negotio ad otium, à perturbatione ad quietem tranquillitatemque, perducitur. de qua cruce loquebatur Chriſtus cum diceret, *Tollite jugum meum ſuper vos, & invenietis requiem animabus veſtris*. hac igitur ſarcina humeros tuos onera; à reliquis abſtine. neque eſt quod dicas, Longa eſt via, avia, deſerta, ab omni rerum copia nuda; quamobrem, niſi interea aliquid proſpectum eſt nobis, verendum eſt maxime, ne fames ſitiſque interitum afferat. nam, merito, hoc timeretur, ſi inops aliquis, ac locorum rudis, ſe nobis itineris ducem comitemque præberet: ſed non eſt id expectandum à Deo, non eſt id metuendum à Domino humaniſſimo potentiſſimoque, ad cujus nutum, ſolitudines atque deſerta, omni rerum copia replentur. atque, omiſſis ceteris divinæ in nos benignitatis exemplis, in hoc uno, quod nobis proponitur, hæreamus. etenim ſingularis Chriſti providentia liberat nos ab omni cura & ſolicitudine rerum humanarum, &, volentibus ad Dei ſervitutem accedere, ſatis eſſe indicat, mentem & cogitationem in Deo defixam habere, de ceteris rebus non plus ſolicitos nos eſſe debere, quam ſolicitæ ſint aves, quomodo ipſæ ſe veſtiant ac nutriant. nam Chriſtus omnium harum rerum curam & ſolicitudinem in ſe transferet, & dicet Philippo, *Vnde ememus panes, ut manducent hi*? ſed, cur de tanta re potius ad Philippum refert, quam ad Petrum, quam ad reliquos? nimirum quia cernebat, eum diffidere plus ceteris. id quod oſtendit illa ejus diffidentiæ vel deſperationis potius plena reſponſio, Si ducentorum denariorum panes ſuppeditentur, vix ad exiguam ſane rationem inter tot capita dividi poſſint. ut poſtea, re tam admirabili edita, tacite, modicam ejus coargueret fidem, neque, hoc facto, Philippi diffidentia magis reprehenditur,

ditur, quam mea, quam tua, quam ceterorum, qui, in suis necessitatibus, ad hominum potius quam ad Dei opem præsidiumque confugiunt; unde non parum sæpe contingit, ut neque hominum fidem, in quam confugerunt, inveniant, neque Dei opem, quam non implorarunt, exspectent. Matthæus addit, harum turmarum misericordia Christum fuisse correptum. felices turbæ, quæ Deo misericordiam concitare potuerunt; beata multitudo, quæ id nacta est, quod omnibus votis expetitur. nam, quid aliud, piorum hominum lacrimæ, spectant, quid nostra jejunia, lacrimæ, verberationes, inhiant, nisi divinæ benignitatis misericordiæque præsidium? Sed age videamus, quid jubeat eos Deus, quorum miseretur, efficere. Dicitur jussisse eos, in fœno, cujus ibi magna vis erat, accumbere. at, quid nobis in fœno subjicitur, nisi communis hominum celeriter moriendi conditio? ô volucris, & in angustum sane gyrum compulsa, vita mortalis! vix homo in flore cernitur, cum marcidus decidit; vix sicut herba virescit, cum mortis ferro depascitur, cum tanquam fœnum arescit. hinc clamat Isaias, *Omnis caro fœnum, &, sicut flos agri, omnis gloria ejus.* sed cur sunt etiam jussi recumbere? non ne poterant stantes, pane divinitus aucto, ad satietatem impleri? quid igitur erat eos opus accumbere? non placent Christo in fœno stantes, sed placent recumbentes. hoc est, non placet, ut paululum, ac leviter pressis vestigiis, in meditatione mortis insistamus, sed postulat ille, ut omnibus in ea mentis viribus, tanquam membris, hæreamus. sed cur tam acrem, tam vehementem, tam attentam, mortis meditationem à nobis efflagitat? quia, qui in hac cogitatione fusus est totus, non hac illac vagatur, non dissilit in omnium mortalium rerum cupiditates. quis enim, hac cogitatione armatus, ab iis se possideri sustineat, quæ vel statim surripi videat? quis, rerum humanarum inconstantiam animo revolvens, iis niti constituat, quæ tam celeriter subruant? eos igitur, quorum misertus est Dominus, voluit in fœno discumbere; videlicet docuit, in assidua mortis meditatione animum intentum, & tanquam tabernaculum vitæ collocatum habere. sola enim mors stabilis est; cetera, ut vetus Poëta inquit, fluminis cujusdam ritu la-

buntur atque prætereunt, neque digna sunt, cui spei nostræ ædificia tuto committantur. quamobrem, si quis optat aliquod divinæ in se misericordiæ specimen habere, videat, quantum vacui ac liberi temporis cogitationi mortis attribuat: quod si nunquam eam patitur suo ab animo longius abesse, jam sciat, se non esse desertum à divina misericordia; jam intelligat, se in fœno, sicuti à Christo jussum erat, accumbere, ab eoque, una cum ceteris, panem ac pisces accepturum. sed quantum accipietè num, quantum ad sedandam famem sit satis? immo, quantum ejus voluntas exposcet. nam, benignus ac liberalis Dominus, hodie distribuit unicuique ex piscibus quantum volebat; ut, cum panis, ad necessitatem naturæ, obsonia ad delectationem gutturis adhibeantur, non tam eorum fami consulere, quam voluptati suppeditare voluisse videatur. quam scitus ac liberalis convivator est Dominus! quam incommodus ac malignus hospes est mundus! tria sunt, quæ suis Christus convivis exhibeat, quæque itidem suis à mundo negentur. primum, promtum atque hilarem animum exhibet; tum, largum ac liberalem cibum apponit; postremo, obsonium ad saturitatem objicit. non deest mundo oris hilaritas, non deest verborum humanitas; sed hæc tota in invitationibus fere consumitur; quibus cum nos illexerit, statim ad ingenium redit, &, plusquam opus sit, indicat, quanta sit ejus insolentia, contumacia, atque fastidium. id studet unum, veterator impurus, ut te promissis deliniat; sed, cum hamum voraveris, te illico differt, cruciat, miserum habet. sunt etiam mundo panes, quibus, quos decepit, enutriat; verum eos, ad tam exiguam mensuræ rationem, distribuit, ut miseros convivas suos dimittat inaniores, quam venerant, adeo ut, fame enecti, cogantur circuire civitatem ut canes. postremo, quidquid ab eo corraditur, nihil est nisi panis ater ac siccus, nullaque cum obsonii suavitate compositus. hic tibi devorandus est, simplex ac nudus; nisi sint pro obsonio, ærumnæ miseriæque, quas largiter ingerit. his, plus etiam quam velis, tuus panis, hoc est tua gaudia, cumulabuntur. nam vel, honoribus tuis, miserarum solicitudinum turba se inferet, vel voluptatibus, dolorum amaritudo miscebitur. quæ cum ita sint,

sint. mirabimur, has turbas, tam benigne ac liberaliter à Christo tractatas, voluisse eum sibi Regis honore ac jure præficere? crudeles atque tyrannicos aliorum mores experti, egregia Christi liberalitate atque justitia non caperentur? fac periculum liberalitatis Christi; da te illi alendum tuendumque; jam omne tui cordis imperium cuivis alteri abrogaveris, & uni Christo detuleris. hinc est, quod David, ea, quæ de divina bonitate prædicabat, experientiâ doctus, non dubitaverit dicere, *Gustate & videte, quam suavis est Dominus.* quasi diceret, non postulo, ut mihi fidem habeatis, ut aliquam orationi meæ assensionem adhibeatis; vos, vos inquam, volo hujus rei testes; experimini, periculum facite; jam audire vos videor in hæc verba prorumpere, O bone Domine, quam suavis est spiritus tuus! profecto nihil est illo dulcius, nihil amabilius, nihil humanius. jam illud non miror, in quo alii clamores extollunt, quod multo plus reliquiarum fuerit inde sublatum, quam quantum fuerat in prandium appositum. nam, cum ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, ad quinque hominum millia affatim essent expleta, quibus erat imperatum, collegerunt duodecim cophinos fragmentorum. homo mortalis ac timidus, ex bonorum mortalium ratione, de divinis atque immortalibus æstimat. nam in bonis istis caducis ac fluxis, quod datur alteri, deperit; quod communicatur cum alio, minuitur; ideo tam avare, tam sordide, tam maligne custodiuntur: at bona cælestia sic traduntur, ut non amittantur; sic dividuntur, ut multis partibus crescant. Quocirca, si tibi est in animo, rem tuam familiarem majorem efficere, eam partire cum inopi; cupis spiritualibus tuis donis cumulum addere? voca quam maxime multos in partes. humilitatis, patientiæ, justitiæque dono auctus es? da operam, ut earum virtutum socios quam plurimos habeas. nam, pro illorum numero, ea tibi bona sub manus excrescent. at quid tandem collegeris? duodecim cophinos fragmentorum; videlicet plenitudinem gratiæ; quæ, hac tam insigni coauctione incrementoque, significatur. Vale. XIII Kal. Aprilis CIↃ IↃC XXXVII.

DO-

XXIX.

DOMINICA PASSIONIS.

QVis ex vobis arguet me de peccato? Ex omnibus vitæ hujus incommodis atque molestiis, nihil ad ferendum tolerandumque acerbius experimur, quam injurias, & criminationes, in nos falso conjectas. nam, quæ objici vere possunt, etsi graviter doleant, æquiore tamen animo tolerantur. ea enim veritatis vis est, ut vel ab invitis ac recusantibus, patientiam extorqueant: at vero impudens calumnia eum habet aculeum, quem viri fortes, ac veritatis amantes, ferre non possint. quamobrem sapientes hujus mundi, Diabolo suggerente, conati sunt, studium vindictæ ad virtutis rationem revocare, statueruntque, viri fortis magnoque animo prædiri officium esse, contumeliis occurrere, injurias propulsare, inimicos ulcisci. Verum, si leviter pressis vestigiis, ad intima hujus cupiditatis cubilia conemur irrumpere, inveniemus, eam, non ex fortitudine, sed ex mollitie animi, non à studio veritatis, sed à superbia & contumacia, ortum habere. nam excelsus animus ac fortis, nulla hominum injuria exardescit, nulla cujusquam contumelia frangitur; inde adeo, quia ea solum metuit, quæ sunt metuenda, solam autem culpam esse formidabilem, solam pertimescendam existimat. contra, pusillus animus ac tenuis, in iis etiam rebus contremiscit ac pavet, quæ mali nihil includunt; in quem Davidicum illud aptissime convenit, *Trepidavit, ubi non erat timor.* deinde, cur ego damna & dedecora pati non possum, nisi quia honore & commodo dignum me arbitror? quod est arrogantiæ. cur injurias mihi factas persequi studeo, nisi quia, me ab altero viribus, audacia, vel existimatione vinci, non patior? quod est insignis manifestæque superbiæ. nam, si, ut inquit Apostolus, omni me creaturæ subjicerem propter Deum, non magis damno vel injuria oppressus, commoverer, quam pavimentum vel solum, quum hominum vestigiis calcatur atque conteritur. quod de se Christus profitetur hoc loco, cum, *Ego*, inquit, *gloriam meam non quæro*;

 hoc,

hoc est, quid falso de me homines loquantur, non curo. neque vero hoc solum dixit, sed etiam sensit ac fecit. etenim, gravissima læsus injuria, non modo nulla se responsione existimationi hominum vindicavit, verum etiam, lapidibus expetitus, nulla vi, audacissimorum hominum impetum furoremque perfregit; & , nisi acerbioris eum supplicii cupiditas ad mortem crucis abstraxisset, lapidationem illam, quam aggressi erant facere, libenti in se animo admisisset. interea, quod licebat, ab eorum oculis, sine querela, sese proripuit. verum singularis ejus patientia, in ea morte perferenda quam diximus, longe clarius enituit. nam, cum, sublatus in crucem, contumeliis omnibus vexaretur, atque omnibus injuriis laceraretur, cum improbus, seditiosus, traditionum ac paternarum legum eversor, appellaretur; cum majestatis ac perduellionis reus ageretur, cum malediceretur, cum pateretur, adeo non maledicebat, adeo non comminabatur, ut non alias majore silentio usus esse dicatur; ut merito usurpare Davidicum illud possit, *Factus sum sicut homo, non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*; hoc est, in tanta hominum acerbitate atque malitia ita me gessi, ut si aurium usu carerem, vel si nihil subesset, quo falsas illorum criminationes confutarem atque refellerem. sed, quemadmodum Christi silentium, ejus patientiam mire commendat; ita etiam nostræ in rebus adversis querelæ intolerantiam nostram plane coarguunt. sed cur hæc, inquies, tam alta Christi patientia, tamque altis innixa radicibus, nonnullis inimicorum suorum hodie oppugnata calumniis, pæne convellitur? nam, accusatus, quod Dæmonium haberet, acerba sane responsione, accusatorum suorum audaciam contundit ac verberat: *Ego* enim *Dæmonium*, inquit, *non habeo*; *sed vos inhonorastis me*. cur hanc tantam plagam, sicuti alias, tacitus non accepit? verum, hoc loco, nullam adeo Christus reprehensionem incurrit, ut etiam magno se scelere obstringat qui ejusmodi calumniarum genere verberatus quiescat, neque, ad respondendum, objurgatoris vim acrimoniamque suscipiat. in hoc genere fatetur se peccasse, qui dicit, *Obmutui, humiliatus sum, & silui à bonis*. & sane non leviter erravit: neq; enim bona dicta, nimirum quę utilitatem aliquam con-

continent, tenenda sunt, sed palam enuncianda, & in auribus, sive potius in cordibus, improborum hominum desigenda; quod non erit sapienti difficile. solitum enim ajunt veterem Poëtam dicere, flammam à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam sapiens bona dicta teneat; hæc scilicet bona dicta, quæ sint gravia, utilia, & salutaria. quamquam nonnulli ridiculi homines hoc ipsum de salsis, facetis, urbanis dictis interpretentur; quod ego non probo. Propositum erat Christo, iis, quæ ad utilitatem nostram diceret, vitæ ipsius innocentiæ fidem adstruere; & recte. nam, quis objurgatorem eum ferat, qui, quod in altero vitium reprehendat, in eo ipse deprehendatur? hinc illud ortum est, quod ait, *Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico, quare non creditis mihi?* quasi diceret, In meam vitam inspicite, &, si quod in ea sceleris vestigium appareat, nullam causam dico, quin omnem mihi fidem abrogetis: at, si ab omnibus sordibus vacat, quid prohibet, quo minus, vera mihi affirmanti, credatis? quamobrem accusatus, quod Dæmonium haberet, si reticuisset, facile dedisset hominibus imperitis ansam existimandi, se, in re manifesta, non habere quod diceret; id quod in summum æternæ ipsorum salutis damnum converteretur. in quo admonemur, ut, si, quæ nobis falso objiciuntur, alteri noceant, ea refellamus, atque hominum existimationi nos & innocentiam nostram, quoad ejus fieri potest, ipsi probemus. deinde, usque adeo illatas sibi injurias Christus dissimulabat, dum ad privatum ejus dedecus redundarent, aut dum, aliqua saltem interpretatione, eripi ab injuriæ calumnia possent: verum, si suam vel Patris divinam majestatem offenderent, non solum voci non parcebat, sed ne à flagellis quidem manum abstinebat. Duo ipsi objiciebantur, quod Samaritanus esset, & Dæmonium haberet. primum, quamvis alio animo diceretur, attamen, tanquam ad suam laudem dictum, accepit; alterum, quod divinæ ipsius majestatis contemtum haberet, acri ac vehementi objurgatione refellit, &, *Dæmonium*, inquit, *non habeo, sed vos inhonorastis me.* similiter apud Præsidem, falsis iniquorum hominum testimoniis circumventus, non defendit causam suam, sed, tan-

 quam

quam agnus innocens ad victimam ductus, obmutuit: at, ubi Prætor, ore sacrilego, impium illud dictum effudit, *Nescis, quia habeo potestatem dimittere te, & habeo potestatem condemnare te?* tum, non suam, sed Patris causam agi existimans, non continuit vocem, sed Patris defensionem arripiens, *Non haberes*, inquit, *potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper.* nos vero contra, quam oporteat, facimus. nam, quæ carent injuria, ad contumeliam accipimus; quæ divinum contemtum habent, ad risum jocumque convertimus: quæ existimationem nostram lædunt, acerrime vindicamus; quæ Dei injuriam continent, impunita dimittimus. quamobrem id, nisi quia plurimum nos, nihil fere Christum, amamus? quamobrem id, nisi quia magis diligimus gloriam hominum, quam gloriam Dei? qui, duabus formis in medio positis, unam persequitur, alteram deserit, quid significat, nisi, unam sibi cordi, alteram pæne odio, esse, vel saltem, una se magis, quam altera, delectari? cur Iacob, post magnos diuturnosque labores, tam ferebat indigne, dari sibi Liam pro Rachele, nisi quia in isthac plurimum, nihil in illa, commovebatur? ita etiam, cur nos querimur, dolemus, ingemiscimus, laboribus nostris esse præmium Liam, hoc est, multas pro Christi nomine ærumnas & dolores, externa quidem suavitate carentes, sed multa virtutum prole fœcundas? nonne satis aperte fatemur, Rachelem, hoc est gloriam nostram, longe nobis cariorem esse, quam Dei gloriam? qua in re, sicut in ceteris laudibus, multum magistro nostro Christo dissimiles invenimur; qui disertis verbis, *Gloriam meam*, inquit, *non quæro.* at, inquies, ergo existimatio nostra, patrocinio destituta, omnium patebit insidiis? immo non alias majoribus custodiis munitur, quam cum propter Christum à defensione nostra nuda relinquitur; siquidem in Dei castris præsidiisque versatur. nam, cum subdit Christus, *Est, qui quærat & judicet*, quid aliud significat, nisi, dignitatis nostræ tutelam Deum ad se recipere, acriterque pro ea pugnare? potest ne dignitas existimatioque nostra firmioribus præsidiis muniri, quam si lateat in Dei fide atque tutela? conjiciamus nos quidem totos in Deum, ceterum aliorum nobis dicta vel facta non plus solicitudinis afferant,

rant, quam valido navigio vectis reluctantes leviter fluctus, quos nullo fere negotio propellunt atque disjiciunt. quod si, repudiatis divinis auxiliis, defensionem dignitatis nostræ ipsi arripuerimus, sæpe fiet, ut neque dignitati satisfaciamus quam male tuebimur, neque Dei ope muniamur quam à nobis ejecimus. una igitur boni nominis conservandi ratio est, patientiæ amor & studium. nam, quemadmodùm, cui data est Lia, addita est etiam Rachel: ita etiam, qui ejus virtutis compos existet, famam atque existimationem hominum promerebit. Vale. v Kal. Aprilis CIↃ IↃC XXXVII.

XXX.

FESTO ANNVNTIATIONIS B. M. V.

TAndem aliquando, Hugo humanissime, felix ille dies illuxit, jam inde à mundi ipsius ortu promissus, tot sacrorum vatum prædictionibus denunciatus, tot seculis à miseris mortalibus exspectatus, tot votis expetitus, tot precibus, suspiriis, ac lacrimis postulatus, qui genus humanum ex miseriis eripiat, à vinculis servitutis expediat, eique, unde excussus fuerat, regno restituat. Gabriel Archangelus, cujus præsertim ex hoc munere est celebrata nobilitas, eligitur, qui tam felix nuncium apportet, quique arcanum Virgini mysterium aperiat, ut, ipsa assensionem suam adhibente, æternus Dei filius naturam in ejus utero sumat humanam, sibique inexplicabili unius hypostasis nexu constringat, ut, qui, ex omni æternitate, perfectus est Deus, in omni etiam futuri temporis spatio perfectus sit homo. quare, tam nova, tam inaudita, tam admirabili, palam elata, qua lætitia fuisse existimas cælestes illos cives imbutos, qua voluptate perfusos, quibus gaudiis expletos? equidem arbitror, cælestem illam Ierusalem, pene ex suis sedibus evulsam, venisse obviam Gabrieli Archangelo, eidemque, tam honorificam legationem, tam insignem provinciam, tam nobile munus, fuisse gratulatam. atque,

ſi cæleſtes illæ mentes (id quod eſt nefas cogitare ,) iiſdem quibus nos affectibus permoverentur , facile potuiſſent , tantum Archangelo illi honorem ac laudem invidere ; ut etiam ſuperiorum ordinum Angeli , traduci ad Archangelos cuperent , quo ea poſſent legatione potiri. Mittitur ergo Gabriel ad Virginem , egregio ſane conſilio , divinaque ratione ; nihil enim tam rerum ordo poſcere , nihil tam divinæ ſapientiæ congruere videbatur, quam ut inde reparandi humani generis initium duceretur , unde illud , de ſua dignitate , præcipiti plane lapſu deciderat. in muliere corruit , in muliere rurſus erigitur. patefactus in Evæ cupiditate ad nos ſubruendos aditus, in Mariæ continentia ſarcitur reparaturque. admiſſum, ſubdola ſerpentis oratione , per mulierem ſcelus , per aliam item mulierem, divina nitente miſericordia , dimittitur. feralis olim Draco , Dæmonis invidia , eſt, ad hominem decipiendum impulſus ; cæleſtis nunc Angelus à Deo , ad eundem in viam revocandum immittitur. at ſolus ad virginem Angelus mittitur ; ſolus ad Virginem Angelus ingreditur , ſolus cum illa ſermones inſtituit: neque enim alius quiſquam potius delegandus ad Virginem fuerat, quam qui aliqua cum ipſa cognatione devinctus teneretur. etenim, cognatione proximus eſt Angelis , quem colendæ virginitatis ſtudium atque ardor inflammat. nihil ille jam ad hoc lutum , nihil fere ad humanam hanc noſtram conditionem ſpectare , ſed ad beatos illos ſpiritus, ſed ad cæleſtem illam naturam , ab omni concretione mortali ſejunctam , quodammodo pertinere exiſtimatur. Sed, ut ad rem propius accedamus; quatuor omnino cauſæ enumerantur , quamobrem B. V. anteaquam æternum Verbum viſceribus ſuis includeret , ac Dei mater efficeretur, de tota hac re per Angelum docenda divinitus eſſet ; quæ poſſunt etiam eleganter ad unumquemque noſtrum accommodari , in quorum animis fere ſemper Chriſtus, ſpirituali quadam ratione , concipitur. ac primum ejus nunciationis cauſa illud fuiſſe dicitur, ne diviniſſimus ille conceptus intra Mariæ viſcera prius coaleſceret , quam eodem mens ejus imbueretur , neque antea res in ea tanta perficeretur , quam aliqua aſſenſionis ejuſdem ſignificatio , voce expreſſa, palam exſtaret. lirat illuſtris , Mariæ

Vir-

Virginis, de Christo, Deo atque homine, fides, in exemplum omnium seculorum posteritati tradenda; quomodo ergo probaretur in populis, quomodo in eam, tanquam in exemplum, inspiceretur, si nullo ipsius testimonio firmata, ac litteris consignata, permaneret? quæ fides, immane quantum illi profuerit. quid opus est verbis? concepisse Christum prius mente quam corpore, multo plus Virgini ad eam beatitudinem contulit, qua *beatam eam dicent omnes generationes*, quam novem menses continuos gestasse in utero Christum. plus illa felicitatis hausit ex eo, quod divinis præceptis obtemperaverit, quam quod, Deum ipsum gignendo, Dei matris nomen invenerit. audita est vox olim mulieris, in confertissima turba de Christo clamantis, *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*; quam Christus vocem, utpote tota via à felicitate aberrantem, compescuit his verbis, *Quin immo, beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. itaque, nullam fere B. Virgo ex Christi cognatione utilitatem percepisset, nisi eundem antea multo illa felicius corde quam corpore concepisset. Veniamus ad nos, à quibus non semel Christus, ut olim à B. Virgine, sed toties spiritualiter, mente concipitur, quoties se nobis dignatur infundere. ut digne à nobis excipiatur, ut fideliter retineatur, antecedat oportet superni cujuspiam luminis splendor intus in nobis tanquam Angeli vox, qui esse eundem in foribus, ac mox animi nostri limina subiturum, admoneat, ut, incensis ac præparatis per hanc quasi admonitionem cordibus, utilius ille in comprehendentem animam concipientemque decurrrat. quanto est opportunior, meditatus, quam subitus, hospitis cujuspiam adventus! nam primo, ad præparationem quod attinet, si mihi nota esset hospitis, qui recipiendus sit, dignitas, ut domi omnia subverterem, expurgarem, suo quidque loco collocarem! ut ab hospitis oculis ac naribus omnia removerem, quæ tetri essent aliquid habitura! ut lectulos sternerem, floribus inspergerem, odores in ignem injicerem, argentum eluerem, exponerem! quam ample magnificeque, pro meo modulo, convivium instruerem, ornarem! deinde, quam alacri eundem animo, quam benevolo, quam amanti, exciperem; osculа-

rer, amplecterer, intro in ædes admitterem! Deus, Deus inquam, non solum mihi est in animo, tanquam in hospitio, continendus, verum etiam concipiendus, spiritualiterque pariendus. adsit primo Angelus, hoc est spiritus bonus, qui tanti adventum hospitis ante denunciet; tum præparetur eidem hospitium. at, si mihi est in animo, eo quo par est apparatu illum excipere, quid tam optandum est, quam cor habile, & ad divinos conceptus continendos idoneum? nimirum cor mundum, innocens, rectum. quod non aliter assequar, nisi, de consilio Isaiæ, pulsis terrenarum cupiditatum affectibus, unde tanquam laqueis animus irretitur, totum Deo obtinendum possidendumq; tradidero. *Si abstuleris*, Isaias inquit, *de medio tui catenam, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* ac recte, patris luminum adventu, tenebræ cordis nostri vertentur in lumen; recte ad pares angulos à divino sole percussione facta, lux orietur in eo, meridiano sole splendidior. hic est ille meridies, purus, nitens, amœnus, cujus meminit sponsa, sponsi deliciis inhians, cum dicit, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* ô quam libenter, quam amanter, quam cupide, ad hunc meridiem sponsus accurrit! quam otiose in eo accubat, quietem capit! quam copiose deliciis cælestibus animum explet! petatur igitur aliquis à Deo Angelus, hoc est, nonnullus divinæ lucis suæ radius, qui nobis aperiat, quanta res sit, Deum mente concipere, quo paratiores toto illum pectore excipiamus. Altera ratio, cur antea, quam Dei filius, in utero Virginis, mortalitatem nostram indueret, tantum Virgini eidem mysterium, Angelicæ visitationis ac vocis munere, declararetur, ea à doctis & sanctis viris affertur, ut res tanta, tam nova, tam admirabilis, tam omnem, tum Angelorum, tum hominum, intelligentiam exsuperans, Virgini ipsi ac nobis testatior existeret, si ejus aliqua, Angeli cujuspiam voce, ad Virginem prædictio antecessisset. nam, quibus dubitationis ambagibus involveremur, quo incerti animi æstu hac illac impelleremur, nulla extrinsecus tantæ rei percepta notitia? quis facile induxisset animum, credere, quod in utero Virginis conceptum erat, de Spiritu sancto esse, nisi expresse nobis antea facta fuisset de re tanta divinitus fides?

nunc

nunc nemo, nisi bene ac naviter impius, non assentitur, nemo, nisi flagitiose ac stulte contumax, ita rem esse non credit, cum verba illa Archangeli Gabrielis ad Virginem audit, *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM, *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Revertamur ad nos. scire cupimus, quod in nobis conceptum est, utrum sit Christus, an aliquid aliud? ad ea, quæ antea præcesserint, confugiamus; videamus, quæ nam ejus nos vel notitia teneat, quis nuncius antecesserit, num aliquis divini nobis amoris ac supernarum rerum ardor illuxerit, an aliquod nostri, vel terrreni cujuspiam boni, studium cupiditates nostras inflammaverit. quod si Dei amor tantum, ejusdemq; studium gloriæ, ad Deum tota mente amplectendum, cogitationes tuas excitaverit, impulerit, inflammaverit, jam scito, adfuisse Angelum, qui monuerit, id quod spiritualiter ex te nascetur, sanctum ac filium altissimi fore: quod si vel honoris vel divitiarum vel etiam cælestium deliciarum desiderium, quod nostri amor commoverit, cogitationes easdem ad Deum, omnibus ut dicitur velis remisque, compulerint; quid causæ est, quin dicam, te aliquid aliud in utero cordis tui inclusum habere, quam Christum? non enim ad ejusmodi tibi conceptum significandum Angelus de cælo quispiam accessit, sed ille potius, qui, cum sit princeps tenebrarum, se transfigurat in Angelum lucis. Sed pergamus ad reliqua. Tertio loco, illa hujus legationis ratio narratur, quod necesse erat, ut B. Virgo antea, quam Dei mater efficeretur, promtum atque alacrem animum ad id munus, cui adhibebatur, afferret. at, si de me quæratur, qua nam præsertim in re hæc alacritas studiumque contineatur, respondebo, in altissima illud cordis humilitate consistere. nec potest aliter dici; ubi enim aptius, nisi in animi humilitate, excipiatur ille, qui se *lilium convallium* appellat? id quod factum est ab ea diligentissime. nam simul ac fides facta est ab Angelo, se Christi matrem futuram, demissis illis atque humilibus verbis, divinæ voluntati se præsto esse respondit, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* non requiescit, nisi super humilem ille, qui de se dicit, *Discite à me, quia mitis sum; & humilis corde.* dum tua in te

rer, amplecterer, intro in ædes admitterem! Deus, Deus inquam, non solum mihi est in animo, tanquam in hospitio, continendus, verum etiam concipiendus, spiritualiterque pariendus. adsit primo Angelus, hoc est spiritus bonus, qui tanti adventum hospitis ante denunciet; tum præparetur eidem hospitium. at, si mihi est in animo, eo quo par est apparatu illum excipere, quid tam optandum est, quam cor habile, & ad divinos conceptus continendos idoneum? nimirum cor mundum, innocens, rectum. quod non aliter assequar, nisi, de consilio Isaiæ, pulsis terrenarum cupiditatum affectibus, unde tanquam laqueis animus irretitur, totum Deo obtinendum possidendumq; tradidero. *Si abstuleris*, Isaias inquit, *de medio tui catenam, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* ac recte, patris luminum adventu, tenebræ cordis nostri vertentur in lumen; recte ad pares angulos à divino sole percussione facta, lux orietur in eo, meridiano sole splendidior. hic est ille meridies, purus, nitens, amœnus, cujus meminit sponsa, sponsi deliciis inhians, cum dicit, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* ô quam libenter, quam amanter, quam cupide, ad hunc meridiem sponsus accurrit! quam otiose in eo accubat, quietem capit! quam copiose deliciis cælestibus animum explet! petatur igitur aliquis à Deo Angelus, hoc est, nonnullus divinæ lucis suæ radius, qui nobis aperiat, quanta res sit, Deum mente concipere, quo paratiores toto illum pectore excipiamus. Altera ratio, cur antea, quam Dei filius, in utero Virginis, mortalitatem nostram indueret, tantum Virgini eidem mysterium, Angelicæ visitationis ac vocis munere, declararetur, ea à doctis & sanctis viris affertur, ut res tanta, tam nova, tam admirabilis, tam omnem, tum Angelorum, tum hominum, intelligentiam exsuperans, Virgini ipsi ac nobis testatior existeret, si ejus aliqua, Angeli cujuspiam voce, ad Virginem prædictio antecessisset. nam, quibus dubitationis ambagibus involveremur, quo incerti animi æstu hac illac impelleremur, nulla extrinsecus tantæ rei percepta notitia? quis facile induxisset animum, credere, quod in utero Virginis conceptum erat, de Spiritu sancto esse, nisi expresse nobis antea facta fuisset de re tanta divinitus fides?

nunc

nunc nemo, nisi bene ac naviter impius, non assentitur, nemo, nisi flagitiose ac stulte contumax, ita rem esse non credit, cum verba illa Archangeli Gabrielis ad Virginem audit, *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESUM, *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Revertamur ad nos. scire cupimus, quod in nobis conceptum est, utrum sit Christus, an aliquid aliud? ad ea, quæ antea præcesserint, confugiamus; videamus, quænam ejus nos vel notitia teneat, quis nuncius antecesserit, num aliquis divini nobis amoris ac supernarum rerum ardor illuxerit, an aliquod nostri, vel terrreni cujuspiam boni, studium cupiditates nostras inflammaverit. quod si Dei amor tantum, ejusdemq; studium gloriæ, ad Deum tota mente amplectendum, cogitationes tuas excitaverit, impulerit, inflammaverit, jam scito, adfuisse Angelum, qui monuerit, id quod spiritualiter ex te nascetur, sanctum ac filium altissimi fore: quod si vel honoris vel divitiarum vel etiam cælestium deliciarum desiderium, quod nostri amor commoverit, cogitationes easdem ad Deum, omnibus ut dicitur velis remisque, compulerint; quid causæ est, quin dicam, te aliquid aliud in utero cordis tui inclusum habere, quam Christum? non enim ad ejusmodi tibi conceptum significandum Angelus de cælo quispiam accessit, sed ille potius, qui, cum sit princeps tenebrarum, se transfigurat in Angelum lucis. Sed pergamus ad reliqua. Tertio loco, illa hujus legationis ratio narratur, quod necesse erat, ut B. Virgo antea, quam Dei mater efficeretur, promtum atque alacrem animum ad id munus, cui adhibebatur, afferret. at, si de me quæratur, qua nam præsertim in re hæc alacritas studiumque contineatur, respondebo, in altissima illud cordis humilitate consistere: nec potest aliter dici; ubi enim aptius, nisi in animi humilitate, excipiatur ille, qui se *lilium convallium* appellat? id quod factum est ab ea diligentissime. nam simul ac fides facta est ab Angelo, se Christi matrem futuram, demissis illis atque humilibus verbis, divinæ voluntati se præsto esse respondit, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* non requiescit, nisi super humilem ille, qui de se dicit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* dum tua in te

rer, amplecterer, intro in ædes admitterem! Deus, Deus inquam, non solum mihi est in animo, tanquam in hospitio, continendus, verum etiam concipiendus, spiritualiterque pariendus. adsit primo Angelus, hoc est spiritus bonus, qui tanti adventum hospitis ante denunciet; tum præparetur eidem hospitium. at, si mihi est in animo, eo quo par est apparatu illum excipere, quid tam optandum est, quam cor habile, & ad divinos conceptus continendos idoneum? nimirum cor mundum, innocens, rectum. quod non aliter assequar, nisi, de consilio Isaiæ, pulsis terrenarum cupiditatum affectibus, unde tanquam laqueis animus irretitur, totum Deo obtinendum possidendumq; tradidero. *Si abstuleris*, Isaias inquit, *de medio tui catenam, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* ac recte, patris luminum adventu, tenebræ cordis nostri vertentur in lumen; recte ad pares angulos à divino sole percussione facta, lux orietur in eo, meridiano sole splendidior. hic est ille meridies, purus, nitens, amœnus, cujus meminit sponsa, sponsi deliciis inhians, cum dicit, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* ô quam libenter, quam amanter, quam cupide, ad hunc meridiem sponsus accurrit! quam otiose in eo accubat, quietem capit! quam copiose deliciis cælestibus animum explet! petatur igitur aliquis à Deo Angelus, hoc est, nonnullus divinæ lucis suæ radius, qui nobis aperiat, quanta res sit, Deum mente concipere, quo paratiores toto illum pectore excipiamus. Altera ratio, cur antea, quam Dei filius, in utero Virginis, mortalitatem nostram indueret, tantum Virgini eidem mysterium, Angelicæ visitationis ac vocis munere, declararetur, ea à doctis & sanctis viris affertur, ut res tanta, tam nova, tam admirabilis, tam omnem, tum Angelorum, tum hominum, intelligentiam exsuperans, Virgini ipsi ac nobis testatior existeret, si ejus aliqua, Angeli cujuspiam voce, ad Virginem prædictio antecessisset. nam, quibus dubitationis ambagibus involveremur, quo incerti animi æstu hac illac impelleremur, nulla extrinsecus tantæ rei percepta notitia? quis facile induxisset animum, credere, quod in utero Virginis conceptum erat, de Spiritu sancto esse, nisi expresse nobis antea facta fuisset de re tanta divinitus fides?

nunc

nunc nemo, nisi bene ac naviter impius, non assentitur, nemo, nisi flagitiose ac stulte contumax, ita rem esse non credit, cum verba illa Archangeli Gabrielis ad Virginem audit, *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM, *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Revertamur ad nos. scire cupimus, quod in nobis conceptum est, utrum sit Christus, an aliquid aliud? ad ea, quæ antea præcesserint, confugiamus; videamus, quænam ejus nos vel notitia teneat, quis nuncius antecesserit, num aliquis divini nobis amoris ac supernarum rerum ardor illuxerit, an aliquod nostri, vel terreni cujuspiam boni, studium cupiditates nostras inflammaverit. quod si Dei amor tantum, ejusdemq; studium gloriæ, ad Deum tota mente amplectendum, cogitationes tuas excitaverit, impulerit, inflammaverit, jam scito, adfuisse Angelum, qui monuerit, id quod spiritualiter ex te nascetur, sanctum ac filium altissimi fore: quod si vel honoris vel divitiarum vel etiam cælestium deliciarum desiderium, quod nostri amor commoverit, cogitationes easdem ad Deum, omnibus ut dicitur velis remisque, compulerint; quid causæ est, quin dicam, te aliquid aliud in utero cordis tui inclusum habere, quam Christum? non enim ad ejusmodi tibi conceptum significandum Angelus de cælo quispiam accessit, sed ille potius, qui, cum sit princeps tenebrarum, se transfigurat in Angelum lucis. Sed pergamus ad reliqua. Tertio loco, illa hujus legationis ratio narratur, quod necesse erat, ut B. Virgo antea, quam Dei mater efficeretur, promtum atque alacrem animum ad id munus, cui adhibebatur, afferret. at, si de me quæratur, quanam præsertim in re hæc alacritas studiumque contineatur, respondebo, in altissima illud cordis humilitate consistere. nec potest aliter dici; ubi enim aptius, nisi in animi humilitate, excipiatur ille, qui se *lilium convallium* appellat? id quod factum est ab ea diligentissime. nam simul ac fides facta est ab Angelo, se Christi matrem futuram, demissis illis atque humilibus verbis, divinæ voluntati se præsto esse respondit, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* non requiescit, nisi super humilem ille, qui de se dicit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* dum tua in te

rer, amplecterer, intro in ædes admitterem! Deus, Deus inquam, non solum mihi est in animo, tanquam in hospitio, continendus, verum etiam concipiendus, spiritualiterque pariendus. adsit primo Angelus, hoc est spiritus bonus, qui tanti adventum hospitis ante denunciet; tum præparetur eidem hospitium. at, si mihi est in animo, eo quo par est apparatu illum excipere, quid tam optandum est, quam cor habile, & ad divinos conceptus continendos idoneum? nimirum cor mundum, innocens, rectum. quod non aliter assequar, nisi, de consilio Isaiæ, pulsis terrenarum cupiditatum affectibus, unde tanquam laqueis animus irretitur, totum Deo obtinendum possidendumq; tradidero. *Si abstuleris*, Isaias inquit, *de medio tui catenam, tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.* ac recte, patris luminum adventu, tenebræ cordis nostri vertentur in lumen; recte ad pares angulos à divino sole percussione facta, lux orietur in eo, meridiano sole splendidior. hic est ille meridies, purus, nitens, amœnus, cujus meminit sponsa, sponsi deliciis inhians, cum dicit, *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* ô quam libenter, quam amanter, quam cupide, ad hunc meridiem sponsus accurrit! quam otiose in eo accubat, quietem capit! quam copiose deliciis cælestibus animum explet! petatur igitur aliquis à Deo Angelus, hoc est, nonnullus divinæ lucis suæ radius, qui nobis aperiat, quanta res sit, Deum mente concipere, quo paratiores toto illum pectore excipiamus. Altera ratio, cur antea, quam Dei filius, in utero Virginis, mortalitatem nostram indueret, tantum Virgini eidem mysterium, Angelicæ visitationis ac vocis munere, declararetur, ea à doctis & sanctis viris affertur, ut res tanta, tam nova, tam admirabilis, tam omnem, tum Angelorum, tum hominum, intelligentiam exsuperans, Virgini ipsi ac nobis testatior existeret, si ejus aliqua, Angeli cujuspiam voce, ad Virginem prædictio antecessisset. nam, quibus dubitationis ambagibus involveremur, quo incerti animi æstu hac illac impelleremur, nulla extrinsecus tantæ rei percepta notitia? quis facile induxisset animum, credere, quod in utero Virginis conceptum erat, de Spiritu sancto esse, nisi expresse nobis antea facta fuisset de re tanta divinitus fides?

nunc

nunc nemo, nisi bene ac naviter impius, non assentitur, nemo, nisi flagitiose ac stulte contumax, ita rem esse non credit, cum verba illa Archangeli Gabrielis ad Virginem audit, *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM, *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Revertamur ad nos. scire cupimus, quod in nobis conceptum est, utrum sit Christus, an aliquid aliud? ad ea, quæ antea præcesserint, confugiamus; videamus, quænam ejus nos vel notitia teneat, quis nuncius antecesserit, num aliquis divini nobis amoris ac supernarum rerum ardor illuxerit, an aliquod nostri, vel terrreni cujuspiam boni, studium cupiditates nostras inflammaverit. quod si Dei amor tantum, ejusdemq; studium gloriæ, ad Deum tota mente amplectendum, cogitationes tuas excitaverit, impulerit, inflammaverit, jam scito, adfuisse Angelum, qui monuerit, id quod spiritualiter ex te nascetur, sanctum ac filium altissimi fore: quod si vel honoris vel divitiarum vel etiam cælestium deliciarum desiderium, quod nostri amor commoverit, cogitationes easdem ad Deum, omnibus ut dicitur velis remisque, compulerint; quid causæ est, quin dicam, te aliquid aliud in utero cordis tui inclusum habere, quam Christum? non enim ad ejusmodi tibi conceptum significandum Angelus de cælo quispiam accessit, sed ille potius, qui, cum sit princeps tenebrarum, se transfigurat in Angelum lucis. Sed pergamus ad reliqua. Tertio loco, illa hujus legationis ratio narratur, quod necesse erat, ut B. Virgo antea, quam Dei mater efficeretur, promtum atque alacrem animum ad id munus, cui adhibebatur, afferret. at, si de me quæratur, qua nam præsertim in re hæc alacritas studiumque contineatur, respondebo, in altissima illud cordis humilitate consistere.: nec potest aliter dici; ubi enim aptius, nisi in animi humilitate, excipiatur ille, qui se *lilium convallium* appellat? id quod factum est ab ea diligentissime. nam simul ac fides facta est ab Angelo, se Christi matrem futuram, demissis illis atque humilibus verbis, divinæ voluntati se præsto esse respondit, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* non requiescit, nisi super humilem ille, qui de se dicit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* dum tua in te

si cælestes illæ mentes (id quod est nefas cogitare,) iisdem quibus nos affectibus permoverentur, facile potuissent, tantum Archangelo illi honorem ac laudem invidere; ut etiam superiorum ordinum Angeli, traduci ad Archangelos cuperent, quo ea possent legatione potiri. Mittitur ergo Gabriel ad Virginem, egregio sane consilio, divinaque ratione; nihil enim tam rerum ordo poscere, nihil tam divinæ sapientiæ congruere videbatur, quam ut inde reparandi humani generis initium duceretur, unde illud, de sua dignitate, præcipiti plane lapsu deciderat. in muliere corruit, in muliere rursus erigitur. patefactus in Evæ cupiditate ad nos subruendos aditus, in Mariæ continentia sarcitur reparaturque. admissum, subdola serpentis oratione, per mulierem scelus, per aliam item mulierem, divina nitente misericordia, dimittitur. feralis olim Draco, Dæmonis invidia, est, ad hominem decipiendum impulsus; cælestis nunc Angelus à Deo, ad eundem in viam revocandum immittitur. at solus ad virginem Angelus mittitur, solus ad Virginem Angelus ingreditur, solus cum illa sermones instituit: neque enim alius quisquam potius delegandus ad Virginem fuerat, quam qui aliqua cum ipsa cognatione devinctus teneretur. etenim, cognatione proximus est Angelis, quem colendæ virginitatis studium atque ardor inflammat. nihil ille jam ad hoc lutum, nihil fere ad humanam hanc nostram conditionem spectare, sed ad beatos illos spiritus, sed ad cælestem illam naturam, ab omni concretione mortali sejunctam, quodammodo pertinere existimatur. Sed, ut ad rem propius accedamus; quatuor omnino causæ enumerantur, quamobrem B. V. anteaquam æternum Verbum visceribus suis includeret, ac Dei mater efficeretur, de tota hac re per Angelum docenda divinitus esset; quæ possunt etiam eleganter ad unumquemque nostrum accommodari, in quorum animis fere semper Christus, spirituali quadam ratione, concipitur. ac primum ejus nunciationis causa illud fuisse dicitur, ne divinissimus ille conceptus intra Mariæ viscera prius coalesceret, quam eodem mens ejus imbueretur, neque antea res in ea tanta perficeretur, quam aliqua assensionis ejusdem significatio, voce expressa, palam exstaret. Erat illustris, Mariæ Vir-

Virginis, de Christo, Deo atque homine, fides, in exemplum omnium seculorum posteritati tradenda; quomodo ergo probaretur in populis, quomodo in eam, tanquam in exemplum, inspiceretur, si nullo ipsius testimonio firmata, ac litteris consignata, permaneret? quæ fides, immane quantum illi profuerit. quid opus est verbis? concepisse Christum prius mente quam corpore, multo plus Virgini ad eam beatitudinem contulit, qua *beatam eam dicent omnes generationes*, quam novem menses continuos gestasse in utero Christum. plus illa felicitatis hausit ex eo, quod divinis præceptis obtemperaverit, quam quod, Deum ipsum gignendo, Dei matris nomen invenerit. audita est vox olim mulieris, in confertissima turba de Christo clamantis; *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti*; quam Christus vocem, utpote tota via à felicitate aberrantem, compescuit his verbis, *Quin immo, beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* itaque, nullam fere B. Virgo ex Christi cognatione utilitatem percepisset, nisi eundem antea multo illa felicius corde quam corpore concepisset. Veniamus ad nos, à quibus non semel Christus, ut olim à B. Virgine, sed toties spiritualiter, mente concipitur, quoties se nobis dignatur infundere. ut digne à nobis excipiatur, ut fideliter retineatur, antecedat oportet superni cujuspiam luminis splendor intus in nobis tanquam Angeli vox, qui esse eundem in foribus, ac mox animi nostri limina subiturum, admoneat, ut, incensis ac præparatis per hanc quasi admonitionem cordibus, utilius ille in comprehendentem animam concipientemque decurrrat. quanto est opportunior, meditatus, quam subitus, hospitis cujuspiam adventus! nam primo, ad præparationem quod attinet, si mihi nota esset hospitis, qui recipiendus sit, dignitas, ut domi omnia subverterem, expurgarem, suo quidque loco collocarem! ut ab hospitis oculis ac naribus omnia removerem, quæ tetri essent aliquid habitura! ut lectulos sternerem, floribus inspergerem, odores in ignem injicerem, argentum eluerem, exponerem! quam ample magnificeque, pro meo modulo, convivium instruerem, ornarem! deinde, quam alacri eundem animo, quam benevolo, quam amanti, exciperem, oscula-

 rer,

nunc nemo, nisi bene ac naviter impius, non assentitur, nemo, nisi flagitiose ac stulte contumax, ita rem esse non credit, cum verba illa Archangeli Gabrielis ad Virginem audit, *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* IESVM, *hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Revertamur ad nos. scire cupimus, quod in nobis conceptum est, utrum sit Christus, an aliquid aliud? ad ea, quæ antea præcesserint, confugiamus; videamus, quænam ejus nos vel notitia teneat, quis nuncius antecesserit, num aliquis divini nobis amoris ac supernarum rerum ardor illuxerit, an aliquod nostri, vel terreni cujuspiam boni, studium cupiditates nostras inflammaverit.quod si Dei amor tantum,ejusdemq; studium gloriæ,ad Deum tota mente amplectendum, cogitationes tuas excitaverit, impulerit, inflammaverit, jam scito, adfuisse Angelum, qui monuerit, id quod spiritualiter ex te nascetur, sanctum ac filium altissimi fore: quod si vel honoris vel divitiarum vel etiam cælestium deliciarum desiderium, quod nostri amor commoverit, cogitationes easdem ad Deum, omnibus ut dicitur velis remisque, compulerint; quid causæ est, quin dicam, te aliquid aliud in utero cordis tui inclusum habere,quam Christum? non enim ad ejusmodi tibi conceptum significandum Angelus de cælo quispiam accessit, sed ille potius, qui, cum sit princeps tenebrarum, se transfigurat in Angelum lucis. Sed pergamus ad reliqua. Tertio loco, illa hujus legationis ratio narratur, quod necesse erat, ut B. Virgo antea, quam Dei mater efficeretur, promtum atque alacrem animum ad id munus, cui adhibebatur, afferret. at, si de me quæratur, qua nam præsertim in re hæc alacritas studiumque contineatur, respondebo, in altissima illud cordis humilitate consistere: nec potest aliter dici; ubi enim aptius, nisi in animi humilitate, excipiatur ille, qui se *lilium convallium* appellat? id quod factum est ab ea diligentissime. nam simul ac fides facta est ab Angelo, se Christi matrem futuram, demissis illis atque humilibus verbis, divinæ voluntati se præsto esse respondit, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* non requiescit, nisi super humilem ille, qui de se dicit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* dum tua in te

voluntas resideat; si quantamvis ceteris in rebus alacritatem exhibeas, nugas egeris: satis alacrem, satis te promtum ad se excipiendum existimabit, si non superbia durum, sed humilitate mollitum inveniat. semen est Christus, ut alias diximus. non cohibet terra semen, nisi, gremio mollito atque subacto, sparsum excipiat. tum eadem, quæ nunquam recusat imperium, alacris & promta videtur illud intra se condere, cum hiat, aratro proscissa. ne multis morer; subactis atque proscissis humilitate animis opus est, ad Christum spiritualiter concipiendum. hinc illæ tam frequentes in sacris litteris, Spiritus sancti voces, *Præparate corda vestra Domino*, *Scindite corda vestra*, *& non vestimenta.* hac alacritate studioque, ad deferendum, in obsequium Christi, animum, præditus, simul ac ab Angelo audiet, *Ecce concipies*, *& paries* spiritualiter *Deum*, à Spiritu sancto edoctus in illa dulcissima verba prorumpet, *Paratum cor meum*, *Deus*, *paratum cor meum.* postremo, cum sacrosanctum illud connubium inter naturam nostram & Deum celebrandum esset, quo connubio erant omnes inter eos discordiæ, perpetua oblivione, delendæ, quid tam erat necessarium, quam consensus Virginis, quæ totius naturæ nostræ personam referebat? siquidem consensus, neque quidquam præterea aliud, nuptias conjungit atque conglutinat. quo consensu Virginis voce palam exhibito, continuo Dei Verbum, à regalibus cæli sedibus veniens, arcano illo & inexplicabili nexu, se nobis implicavit atque constrinxit, hoc est, naturæ humanæ se in Virginis utero copulavit. fuit tantus hic Virginis honor, Angelis jucundus, humano generi summus, Virgini ipsi gloriosus, &, supra quam dici potest, eximius. Sed juvat intelligere, quibus illa verbis suam tantæ rei assensionem adhibeat. fide facta ab Angelo, se Deum, si non nollet, parituram; quid respondit? videlicet, Placet hoc mihi, Assentior? minime; sed, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum.* ô rem admirabilem! ô animi demissionem prædicandam! Multa in hanc salutationem Angelicam concurrunt, quæ summam, singularem, ac prope incredibilem ejus animi demissionem ostendunt; sed duo illa in primis excellunt. primum, quod tam insi-

gnibus,

gnibus, tam novis, tam admirabilibus ab Angelo laudibus ornata, non modo non intumescit, non inflatur, non animos tollit, verum etiam, ex hac suarum laudum commemoratione, vehementi admiratione, atque adeo terrore metuque, corripitur. ita enim expavit Virgo de lumine, ut dubitaret, qualis esset ista salutatio, ac necesse fuerit Angelo, hunc ejus ab animo timorem abstergere. *Ne timeas Maria; invenisti gratiam apud Deum.* atque hæc ejusmodi admiratio metusque adeo certum est animi vere demissi argumentum, ut non alias magis conjicere liceat, utrum aliquis elate vel demisse de se ipso sentiat, quam ex eo, videlicet quemadmodum ex auditione laudum suarum afficiatur. nam si, laudatus ab aliquo, non admiretur, non pertimescat, non exhorreat, sed, laudanti se, assentiatur, fidem habeat, gratias agat, hunc dicendum est abesse ab hac virtute longissime. nam proprium est demissorum, auditione suarum laudum commoveri. quamobrem hoc? quia toti in acerrima suorum peccatorum cogitatione defixi, ita, quidquid veram in se laudem habet, à se alienum existimant, ut rejiciant, aspernentur, audire nolint. Deinde, tantam habent demississimi Deoque subjectissimi animi significationem verba illa, *Ecce, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum*; ut supra addi nihil possit. quatuor ab Angelo audierat, quorum unumquodque potuisset animum, quamtumvis demissum, attollere: primum, se divina gratia ad summum confertam; *Ave, gratia plena*; tum, arctissima se cum Deo societate conjunctam, *Dominus tecum*; deinde, præ cunctis mulieribus omni benedictione donatam, *benedicta tu in mulieribus*; postremo, se Deum & hominem pariturum, *paries filium, & Filius Altissimi vocabitur.* & tamen maluit se humilem, hoc est, vilem ac nullius pretii fœminam, quam, tot divinis beneficiis ornatam, dominam dicere; maluit se Dei ancillam, quam matrem, asserere. atque ista tam insigni, tam alta demissione animi, se è cælo Deum, suum in gremium, attraxisse, testis est ipsa cum dicit, *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis*; nardus mea; videlicet animi mei demissio; nardus mea; videlicet mea ad obtemperandum divinis jussis atque mandatis alacritas, dedit odorem suavitatis

vitatis

vitatis; hoc est, ita suaviter Dei naribus afflavit, ut cucurrerit in odorem illius. nardus enim, humilis herba est, sed odore summo, ac ceteris longe præstantissimo. Quamobrem, si divinæ voluntati non resistere, sed justissimis ejus imperiis præsto esse, ad demissionem animi in primis spectat, det unusquisque nostrum operam, ut totus sit in Dei potestate: ita enim, quod intus concepit in animo, feliciter pariet, & fiet mater Domini nostri Iesu Christi, ipso teste, qui dixit apud Matthæum, *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror, & mater est.* Vale. x x Kal. Aprilis CIƆ IƆC XXXVII.

XXXI.

DOMINICA IN PALMIS.

CVm appropinquasset Hierosolymis, & venisset Bethphage, ad montem Oliveti, tum Iesus misit duos discipulos. Magnum & inexplicabile redemtionis humanæ beneficium, à Christo verbis jam dudum initum, jam re ipsa comprobari firmarique inchoatur. in quo præstando, ea divini in nos amoris signa elucebunt, ut, si cum iis quæ adhuc illuxerunt comparentur, solis instar habere inter minora sidera videantur. in hoc igitur opus alacris hodie Christus accingitur, ac, triumphanti similis, Hierosolymam eques ingreditur. cujus clarissimi quasi triumphi, tria illa lumina, clarius ceteris, mentis nostræ aciem suo fulgore præstingunt. primum, ardens Christi, in acerbissima pro nobis morte adeunda, amor & studium; tum, diligens, in persequendis Christi mandatis, Apostolorum cura atque lætitia; postremo, pia turbarum, obviam Christo prodeuntium, cum ramis arborum atque palmarum, officia. hæc breviter tria, nuda ac simplici oratione complectar, quo nobis hodie ad contemplandum imitandumque proponamus. neque propterea, sus, ut ajunt, Minervam, velle me docere te cogites; sed, tanquam magistrum atque doctorem, ad ea quæ mihi venerunt in mentem, adhibeo, quo ea emendes, perpolias atque perficias. Ad primum quod attinet, duo sunt,

sunt, quæ Christi alacrem & incensam, in obeunda pro nobis morte, voluntatem studiumque declarent. primum, quod persequentium se diligentiæ curæque antevertit, eorumque crudelitati furorique ultrò se objicit. etenim, si illuc à Iudæis perductus venisset, nonnullam in animis iniquorum suspicionem reliquisset, quod coactus invitusque moreretur: verum, cum, sua voluntate, eo se conferat, ubi sibi insidias tendi, virgas expediri, crucem parari, prædixit, satis aperte ostendit, ultro se, ad ea perferenda, contendere, quæ manus ejus & consilium ejus decrevissent fieri. & sane, nihil tam ejus, in cruciatibus ac morte ipsa ferenda, alacritatem studiumque declarat, quam voluntarius ad eorum malorum perpessionem accessus; quorum omnium exactam distinctamque notitiam animo comprehensam habebat, adeo ut nihil postea inciderit in ipsum mali, quod non antea intelligentia scientiaque percepisset. quamobrem eum recte Isaias appellat *virum dolorum, & scientem infirmitatem.* nam aperte atque dilucide, tanquam ea quæ cernuntur oculis, videbat animo, se fore corripiendum, spinis coronandum, alapis cædendum, sputis fœdandum, arundine percutiendum, flagellis lacerandum, in crucem agendum; neque tamen earum cogitationum acerbitate retardatus est, quo minus, simul ac tempus ei rei visum est esse, in suorum carnificum manus irrueret. quid autem hoc indicat, nisi summam in eo fuisse suppliciorum mortisque cupiditatem? ô pessime tanto in ipsos amori relatam ab hominibus gratiam! Christus suppliciis se offert, nos autem quemvis, vel levem, pro ipso laborem effugimus; ille ad mortem, pro nobis obeundam, non modo constantiam, verum etiam alacritatem, apportat, nos, ad brevissimum dolorem pro ipso subeundum, tristes ac recusantes attrahimur; ille, quod habuit summum precium, persolvit nobis, siquidem *majorem caritatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, nos vero non modo rem ipsam eidem non elargimur, sed ne voluntatem quidem interdum emetimur. Iam vero, cujus in se oculos non convertat hæc Apostolorum, in Christi jussis persequendis, tam diligens observatio? qui non modo Christi imperiis præsto sunt, sed

plus

plus etiam ex se dant, quam quantum ab ipsis exigitur. jusserat Christus, ut asinam solverent, agerent, sibi sisterent; at non id solum exsequuntur, sed insuper vestes injiciunt, quo mollius in ea considat. quod si omnia, quæ in sacris litteris traduntur, Christianæ vitæ documenta sunt habenda, magnum aliquod certe, ex hac Apostolorum diligentia, tam diserte ab Euangelistis descripta, nobis indicatur atque proponitur. id autem nihil esse arbitror aliud, nisi ut, qui se Christi discipulos profitentur ac præstant, multa etiam faciant, quæ divinis jussis atque mandatis palam expressa non sint; si eadem majorem Dei gloriam & animarum utilitatem habitura esse videantur. magna mihi copia esset memorandi, quæ viri omnium sanctissimi, tanquam divinæ voluntatis interpretes, ad ea, quæ ipsis imperabantur, addiderint, ni, ea re, longius quam epistolæ modus exposcit, traheretur oratio. at, si quæratur, quæ nam ea sint, quæ, tametsi palam à Christo non imperentur, nihilo minus Christiani viri operam diligentiamque requirunt, dicam ea esse, quæ hodie ab Apostolis eduntur; nimirum, ut vestes, quibus involuti sumus, Christo sternamus ac subjiciamus. neminem esse arbitror, adeo in rebus divinis rudem ac tardum, qui nesciat, sæpe, vestium nomine, iram, cupiditatem, ceterasque animi perturbationes includi. hasce omnes affectiones, etiam si nihil expresse de illis cautum videatur, quantum fieri potest, sibi detrahat oportet, qui in exsequendis divinis mandatis, diligentis viri laudem & nomen efflagitat: quod si eas etiam Christo substraverit, tum omnes numeros perfectæ servitutis expleverit. at, quomodo, inquies, affectiones animi mei, Christo subjecerim? nimirum, si rationem utilitatis tuæ, Christi gloriæ posthabueris; si iras inimicitiasque tuas eidem postulanti concesseris; si dulcedinem voluptatis, quæ sensus nostros impellit ac commovet, Christi pedibus, ad cruciatus, ad mortem pro nobis subeundam, properantibus, alacriter celeriterque subjeceris. quod si quis, cupiditatibus suis onustus, Christo servire contendat, profecto hic, neque Christo satisfecerit, quem non eo, quo ille dignus est, honore complectitur, neque labori aut operæ suæ consuluerit, quam ipse frustratur. Postremo, laudatur

tur in turbis, nec injuria, egregia illa voluntatis ipsorum erga Christum significatio, quod obviam eidem prodierint, quod, ramos palmarum in manibus gestantes, *Osanna* clamaverint, quod foliis, de arboribus strictis, viam asperserint, quod, quacunque ille iter faceret, suis humum vestibus texerint. sed, quid illis venit in mentem hoc facere? num id ab illis excogitatum effluxit? dices, turbas, recentis illius miraculi, nimirum Lazari ab inferis excitati, memoria compulsos, nullum officii genus in Christum prætermittere voluisse. audio. ita enim à Ioanne scriptum invenio, propterea venisse illis obviam turbas, quia audierant, eum fecisse hoc signum. sed fit etiam verisimile, id ab eis fuisse susceptum, eo quod, Apostolos, ephippii loco, suis asinam vestibus induisse, conspexerant. quamobrem crediderim, homines rudes ac simplices, sequutos Apostolorum exemplum, in deferendis Christo honoribus, certare cum illis voluisse. sed quid hic locus nos admonet? nimirum illud, ut, quod aliis autores sumus ut faciant, in nobis antea repræsentemus. verbi gratia, conatur aliquis, cohortationibus & admonitionibus suis, reducere errantes in viam, consolari afflictos, peccata aliorum corrigere, lites sedare, inimicitias componere, atque alia id genus caritatis officia exsequi? ecquando persuadebit? ecquando fidem faciet? exquando tenebit hominum cœtus, mentes alliciet, voluntates impellet? tum profecto, cum id præstiterit, quod hodie ab Apostolis perfectum esse videmus; si videlicet, quod verbis docuit, re ipse antea præstiterit. cupimus, alios inimicis suis ignoscere? cupimus, alios sua vitia ponere, vestes Christo subjicere, hoc est, necessitatibus pauperum de suis bonis suppeditare? injurias & contumelias remittamus iis, à quibus læsi sumus; a vitiis atque peccatis animum avocemus, facultates nostras in pauperes effundamus. omnino ita sæpe contingit, ut nihil fere hortantis proficiat oratio, quæ autoritatem de exemplo non præbeat. isne à litibus, à contentionibus, avocare me postulet, qui eisdem implicatus teneatur? isne mihi odia, simultates, eripere studeat, quem ego flagrantem odio, ac suas inimicitias acriter persequentem, aspiciam? is ne mihi gravis liberalitatis autor existat, quem, in re fami-

liari,

liari, quavis ratione augenda, occupatum intueat? probum eum esse decet; qui ab altero probitatis officia reposcit. quid multis moror? tanta plerunque in exemplis, ad fidem faciendam, vis inest, ut ipsa, per se nuda, sine ulla veste verborum, disertissimæ cujusdam orationis instar habere videantur. non vagabitur oratio mea longius, sed intra hujus Euangelii fines continebitur. non præceperant turbis Apostoli, ut vestes Christo substernerent: tantum asinum, ubi Christus sederet, suis vestibus instruxerant, atque contexerant; at illæ, hoc exemplo permotæ, plus aliquanto præstiterunt, quam Apostolos ipsos facere viderant. omnino sic se res habet, ut ille in corrigendis aliorum peccatis aliquid profecturus sit, qui iis, quibus se magistrum ac ducem præbet, non solum oratione, verum etiam exemplo, præierit: secus enim imitabitur actores malos comœdiarum & tragœdiarum, qui eos affectus in aliis commovere student, quibus ipsi non permoventur. itaque, quemadmodum illi exsibilantur & exploduntur, ita etiam ipse, omnium irrisione, ludetur. Vale. III Non. Aprilis CIↃ IↃC XXXVII.

XXXII.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Quantum interest inter Christi amorem atque hominum benevolentiam! hæc, temporis accessu, decrescit; ille, annorum decursu, amplificatur atque perficitur. neque discriminis ratio, multis difficultatum ambagibus involuta, vi aliqua ingenii evolvenda est & in apertum proferenda, sed ipsa, per se, nuda atque aperta, omnibus ad cognoscendum objicitur. etenim amor Christi fit major in dies, quia nihil ad se ipsum, ad utilitatem autem suorum omnia, refert, amor vero humanus, nullum fere aliorum commodum respicit, at suam semper utili-

utilitatem propositam habet; ideo, utilitate decrescente, benevolentia decrescit. *cum* igitur *Iesus dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* suos inquit; nimirum eos, pro quorum salute vitam & sanguinem dabat. suos inquit; nimirum eos, quibus mœrori videbat esse suum è vita discessum. suos inquit; nimirum eos, de quibus Patri Deo dixerat, *Et non rapiet eos quisquam de manu mea.* sed quid erat opus, verba illa addere, *qui erant in mundo*! nonne satis rem ipsam eloquutus fuisset, si simpliciter *suos* dixisset? num ne erant aliqui extra discipulorum suorum numerum, qui ad Christum pertinerent? ita; nimirum ii, qui ex omnium seculorum memoria inter cives sanctorum & domesticos Dei adlecti, ac mortis ipsius pretio redemti, repromissionem accipiunt æternæ hæreditatis. verum ad hæc, tam illustria, de quibus dicturi sumus, divini amoris exempla quod attinet, in eos tantum sunt edita, quos in extrema illa cœna sibi Christus convivas abduxerat, nimirum Apostolos. itaque *sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se; deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* ô rem miram! rationem, cur ad eam humilitatem descenderet, ut sordida hominum vilissimorum vestigia pronus ablueret, eam affert, quod sciret, *quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit.* quia igitur Dei erat Filius, quia ex Patris essentia, æterna generatione, prodierat, tam humile illud tamque abjectum, sibi munus, suscipiendum esse, existimabat. quis id, non modo esset ausus dicere, verum etiam passus sibi in mentem venire? quis jam erubescat, se aliis subjicere, quis putet, sibi turpe esse, ad pauperum pedes accidere, quis recuset, eorum sordes abluere, cum id Christus à sua majestate alienum non ducat, immo propterea id sibi faciendum existimet, quod sit ejusdem cum Patre divinitatis atque substantiæ? quo dicto factoque, quis humanam arrogantiam & spiritus verberatos & contusos non videat? quis mortalis superbiæ fastigium, hac animi demissione eversum prostratumque non cernat? quippe quod hæc tam sordida tamque abjecta

jecta munera, non modo divinæ majestati, sed paulo etiam honestioris notæ hominibus, indigna, reformidat ac rejicit. perge; videamus, quemadmodum Christus hanc provinciam tam humilem tam servilem exsequitur. num multos in ejus partem vocat? num leviter, num negligenter attingit? immo solus amplectitur, ceterorum operas rejicit, cuivis labori diligentiæque non parcit. nam, surgit à cœna, ponit vestimenta sua, linteum sumit, eodem sese præcingit, pelvim præparat, aqua implet, pedes discipulorum lavat, linteo, quo erat præcinctus, extergit. quid est reliquum in hoc munere, quod omiserit, immo, quod non diligenter fuerit prosequutus? Sed, quorsum hæc tam diligens Christi sedulitas? nimirum, ut intelligamus, omnes diligentiæ nervos contendendos esse in iis, quæ ad pauperum utilitatem pertineant, quos, Christi causa, alendos, curandos, colendosque suscepimus. cum hac igitur cura & solicitudine, ad opus, quod sibi propositum erat, accedit; ac venit ad Simonem Petrum. at, cum dicat Ioannes, postquam cœpisset lavare pedes discipulorum, venisse Iesum ad Simonem Petrum, satis aperte demonstrat, antecessisse unum vel plures, qui fuerint à Domino, hoc tam demisso ac singulari genere humanitatis, excepti. verum, hic videtur esse locus quærendi, quis nam tam arrogans, tam impudens, tam projectus ad audendum, passus sit, se ceteris, & in primis Petro, præferri. sed, quærenti mihi, non alius occurrit præter Iudam; ergo, quem immanissima illa importunissimaq; natura ad tantum tamque atrox facinus adegit, ut Regem, Dominum ac Deum suum nefaria proditione desereret, in manus inimicorum traderet, ad mortem acerbissimam truderet, non eum ego crediderim, tantum animi habuisse ad audaciam, ut se Apostolorum principi anteferret, ac funestos illos pedes, veloces ad effundendum sanguinem, Christo abluendos tergendosque proponeret? latus est malitiæ campus, fere in immensum extenditur, adeo ut, qui semel recti fines egressus est, hortante libidine, stimulante nequitia, urgente occasione, longius excurrat, ac nullis, neque admonitionibus, neque objurgationibus, neque minis, revocari ad honestatis terminos possit. &, quemadmodum ægri illius salus in perditis ac desperatis rebus

rebus habetur, qui tortus, ustus, cæsusque, nullo doloris sensu pervellitur; ita etiam æterna peccatoris illius salus in præcipiti esse convincitur, qui monitis, objurgationibus, minisque expetitus, nihil permovetur ac flectitur. Quid non tentavit Christus, quid non est expertus, quid non adhibuit, ut proditorem discipulum ab illo tam nefario tamq; exsecrabili parricidio revocaret? primum, admonitiones suscepit; nam cunctis audientibus dixit, *Vnus vestrum me traditurus est*; & sigillatim Iudæ ipsi, per dissimulationem quærenti, num ne ipse ille esset proditor tam sceleratus tam impius, cujus opera suus amantissimus magister ac Dominus esset devolvendus vita, respondit, *Tu dixisti.* deinde objurgationes arripuit tum, cum de Iuda loquens, *Vnus*, inquit, *ex vobis diabolus est*; &, cum, nefario illo osculo exceptus, proditoris animum verberavit, his dictis, *Iuda, osculo filium hominis tradis?* postremo neque terroribus minisque pepercit; nam & suspendium & æternos apud inferos cruciatus non obscure prædixit, cum ait, *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; melius erat ei, si natus non fuisset homo ille.* at Petrus, quem non malitia sed timor, non insolens pecuniæ studium sed naturalis vitæ cupiditas, non odium magistri sed terror mortis, honesti lineas semel transire compulerat, ubi, divina adjutus ope, paululum se se recepit, non est progressus longius, sed continuo cursum inhibuit, gradum revocavit, errantem animum in viam redire, majori etiam quam decesserat celeritate, coëgit; metus peccantem abduxit, amor pœnitentem reduxit; muliebris vox, tanquam levis aliquis flatus, nutantem afflixit; divinus Christi oculorum intuitus, tanquam aliqua vis major, jacentem erexit. quid multis opus est? quoniam æger illius animus haud difficulter ad sanitatem perducendus erat, nullus relictus est admonitionibus, nullus objurgationibus, nullus minis ac terroribus locus; sed longe levioribus remediis valentior est redditus. etenim ne unicum quidem Christi oculorum intuitum sustinuit; eo enim leviter tactus, plane vehementer ingemuit, ad ejusque vim, tanquam ad solis ardorem nix solet & glacies, pene totus eliquit. hic tamen talis ac tantus discipulus, cum sibi Christum genibus advolutum aspiceret, tantæ

animi demissionis exemplo, velut horrore correptus, exilit, pedes retrahit, ac, *Tu mihi*, inquit, *lavas pedes*? tu, qui mortuis vitam, cæcis visum, claudis ingressum, mutis ac surdis loquendi audiendique facultatem, attribuis, tam abjectum, tam vile munus obire sustineas? non feram, non patiar. cui Christus, *Quod ego*, inquit, *facio, tu nescis modo; scies autem postea: & , si non lavero te, non habebis partem mecum.* quo audito, Petrus quiescit, obtemperat, pedes tradit, ac dicit, *Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput.* in quo optimi obsequentissimique discipuli functus est munere; cujus præsertim sunt partes, ita magistro imperanti servire, ut ad ejus nutum præsto sit, neque aliquam ab eo, quamobrem ita jubeat, rationem exquirat. sed quid est, quod ait, *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea*? Ecquando, tantæ rei ratio atque notitia Petri intelligentiæ, tum quidem obstructa ac recondita, se sedemum aperuit, atque in ejus oculis propalam collocata constituit? non enim memini, me uspiam legisse. dicam, à Domino adjutus, quid de tanta re mihi veniat in mentem. duo arbitror exstitisse tempora, quibus ejus rei ratio, tum illi obscura, sole clarius enituit. primum, cum impiam illam atque nefariam Iudæ relictionem proditionemque Domini ac Dei sui cognovit; cujus discipuli crudelis animus, neque tam inaudita Christi mansuetudine placari, neque ejusdem objurgationibus ac minis revocari à tanto scelere potuit. intellexit enim, qui mox futurus erat omnium magister ac rector, non fas esse cuiquam, quæ ad peccatores in viam reducendos spectant, omittere, quamvis exploratum sit, omnes ipsius conatus in irritum esse casuros. alterum fuit tempus, cum idemmet Christus, videntibus discipulis, est elevatus in cælum, cum ad dexteram Dei Patris, in omni æterni futuri temporis spatio, cum ipso regnaturus assedit. tum profecto percepit, quantæ amplitudinis gloriæque fundamenta, in hac tam humili tamque depressa Christi demissione, jacerentur; tum Petri ejusdem oculis, ejus doctrinæ vis & utilitas patuit, *Qui se exaltat, humiliabitur*; quam Doctrinam solitus erat Christus auribus audientium inculcare, atque adeo in animis eorum infigere.

gere. ô altiſſimam Chriſti demiſſionem, in hac pedum ablutione oſtenſam! ô fundamentum, ejus gloriæ magnitudinis, quam poſtea adeptus eſt, proportione locatum! qui infra omnes homines ſe ſe demiſerat, qui pedes diſcipulorum laverat, immo, qui omnium pedibus ſe ſe ſubjecerat, qui ne in hominum quidem numero ſe haberi permiſerat, in eum amplitudinis dignitatiſque locum inſcendit, ut, omnes cæli orbes emenſus, omnes Angelorum ordines prætervectus, ad dexteram Dei Patris, ſedem ſuam domiciliumque ſtatuerit, ut nomen illud obtinuerit, quod gloriæ magnitudine aliud quodvis nomen excellat. at multi etiam Chriſti imitatores inveniuntur, qui, magiſtratibus abdicatis, honoribus ſpretis atque contemtis, opibus neglectis, divitiis repudiatis, obedire quam imperare, egere quam bonis omnibus affluere, malunt. vulgus, totius rationis ignarus, factum improbat, admiratur, exhorret. cui poteſt idem reſponderi, quod Chriſtus Petro interroganti reſpondit, Quod ipſi faciunt, neſcis modo, ſcies autem poſtea; hoc eſt, tum ſalutaris ipſorum conſilii ratio tibi patebit, cum pro terrena poteſtate, cæleſte Regnum, pro interituris honoribus æternam dignitatem, pro fluxis & caducis divitiis ſtabiles & perpetuas opes, eiſdem impertiri conſpicies; cum, pœnitentiam agens, & præ anguſtia ſpiritus gemens, Non ne ſunt, inquies, hi, quos, mentis vitio, exiſtimabamus honores contemnere, opes abjicere, & vacuam ab omni honore vitam eligere? ecce nunc, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt! Quamobrem optemus potius, mi Hugo, aliorum pedes abluere, hoc eſt, pauperum utilitati ſervire, quam noſtris commodis operam dare; ut cæleſti regno potiamur: feſtinemus potius, à divitiis, ab honoribus, animum avocare, quam eiſdem illum adjicere; ut bonorum æternorum compotes efficiamur. Vale. Non. Aprilis CIↃ IↃC XXXVII.

XXXIII.

DE SALVATORE CRVCIFIXO.

C*Hristus nos redemit de maledicto legis*, *factus pro nobis maledictum*; *quia scriptum est*, *Maledictus omnis*, *qui pendet in ligno.* Verba hæc, ab Apostolo ex Deuteronomio recitata, usque adeo nonnullis Christianorum visa sunt indigna, Christi majestate & innocentia, ut nunquam potuerint inducere animum, credere, ea scripta fuisse de Christo, sed potius existimaverint, ad Iudam spectare, ejusque nefariam proditionem relictionemque Domini sui, diris exsecrationibus insectari, neque hanc interpretationem, verba ipsa, si recte perpendantur, ejicere. etenim, non illi maledicunt qui affixus est ligno, sed ei qui pendet in ligno, hunc autem neminem esse præter eum, qui, tanto scelere in se concepto, ut salutem Christi proderet, demum conscientæ stimulis, quasi furiis, agitatus, à se ipse pœnas, suspendio, graves debitasque repetiit. Verum, quamvis istorum pietas merito laudanda esse videatur, perspicuum est tamen, in explicatione horum verborum non esse ab Apostoli sententia recedendum; qui diserte ea interpretatur de Christo. nam, cum dixisset, Christum factum esse pro nobis maledictum, id posuit pro argumento, quia scriptum esset, *Maledictus omnis*, *qui pendet in ligno.* neque verba ipsa repugnant, quin is etiam dici poscit pendere, cujus manus, ad lignum crucis adductæ, eidemque clavis affixæ, totum corpus, cum ingenti dolore cruciatuque, sustentant. Atque ad Christi majestatem quod attinet, quæ nam illi fiat injuria, si, in hoc maledicto legis, Christum hæsisse ponamus? nam, quid maledictis impetitur? non aliud, nisi id, quod pendet in ligno. quid autem pendet in ligno? nostra nimirum in Christo natura, peccatis omnium hominum cooperta; quæ peccata, hanc secum exsecrationem & maledictum, quocunque eant, ubivis adsint, cuicunque hæreant, afferunt. quis magnopere commoveatur, si audiat, sumtum esse de morte supplicium? nemo opinor. at, nihil actum est in eam crucem, quæ fixa est Christo, nisi

nisi mortalitatis nostræ figmentum. quis vehementius exhorreat, si peccatum intelligat fuisse sublatum in crucem? nemo procul dubio. at nihil nisi peccatum, constat, ea pœna supplicioque fuisse mactatum, quo Christus occubuit. nihil igitur divina ejus majestas amplitudoque maledicto illo minuitur, quod totum in nostrum lutum recidit, quod totum ad nostra scelera pertinet, quorum oneri invidiæque Christus semet ipse subjecit. neque etiam quidpiam singulari ejusdem innocentiæ ex hac causa detrahitur. tum potuit aliqua eidem macula aspergi, cum vel tenuis saltem proprii sceleris suspicio subesset: at, quo nam modò hæc ejusmodi suspicio se intrudere & inferre in eum poterat, qui *peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus?* immunis igitur atque expeditus à crimine, propter similitudinem carnis peccati, peccati pœna constringitur. ô rem miram, inauditam, inexplicabilem! Christus, solutus à crimine, ad crimen injicitur; homo, eidem obnoxius illigatusque, ab eo dissolvitur. at qui, tum nostram, tum Christi conditionem, non adumbrasse sed expressisse, non explicasse sed ante oculos posuisse serpens ille videtur, ex ære factus, atque à Moyse in altum elatus, ut, ejus aspectu, serpentium morsibus saucii, ad salutem sanitatemque revocarentur. nota est historia, atque in concionibus sæpenumero agitata; usque adeo, ut ipsemet Christus, de hac eadem cruce loquens, quæ nobis salutem & vitam, ipsi autem supplicium & interitum, artulit, non dubitaverit dicere, se mortemque suam in eo serpente fuisse descriptam. *Sicut*, inquit, *Moyses exaltavit serpentem in diserto, ita oportet exaltari filium hominis.* at vide, vel potius mecum recognosce; nam tu melius nosti, quam ego, quam aptè eleganterque serpens hic, fictus ex ære, ad ea omnia, quæ de Christo, de peccato, ac de nobis diximus, quadret. primum, in ea figura, peccati vis intelligitur. nam quid est peccatum, nisi venenum, quod, semel conceptum, in omnes animæ partes, ad eandem inficiendam necandamque, permanat? tum peccati ejusdem autor exprimitur. quis enim peccati inventor, autor ac suasor exstitisse narratur? non ne serpens ille venenatus, qui, sua perfidia tectisque dolis, parentes nostros in eam fraudem tam im-

piam tam sceleratam induxit, quam non modo ipsi contraherent, sed in omnem etiam posteritatem propagarent? deinde curationis ejusdem ratio aperitur. nam, quid aliud jussi sunt facere ii, qui, serpentium dentibus in deserto vulnerati, totis venenum membris conceperant, nisi ut in illud serpentis simulacrum aspicerent? ita etiam, peccati morsibus, sauciis nulla obtinendæ salutis ratio demonstratur, nisi ut spes cogitationesque suas defixas habeant in eo, qui, sublatus in crucem, omnium in se oculos atque ora convertit. scio, me in rebus notis ac pervulgatis versari; sed, quia rem explicant, prætermitti non possunt. ab hoc, mi Hugo, si salvi esse volumus, nusquam sunt oculi dejiciendi; hic tota mente conspiciendus. *non enim est aliud nomen hominibus datum sub cælo, in quo oporteat nos salvos fieri.* Denique, quod rem maxime attingit, in hujus serpentis imagine, Christi purus ab omni scelere animus in oculis plane defigitur. nam quid habet hic serpens simile serpentis, præter figuram & formam? erat enim ab omni tum veneno tum nocendi facultate alienus. ita etiam, quid in Christo, nisi peccatoris imago quædam, omnis culpæ expers, agnoscitur? & sane, ejusmodi oportebat esse eum, qui succederet alienæ culpæ vicarius. si quispiam amicum suum, ob aliquod facinus, in supplicium rapi conspiceret, ejusque vicem miseratus, in beneficii loco deposceret, ut in ejus locum subrogaretur, non ne, quo id posset impetrare, extra omnem noxiam eum esse oporteret, quæ in amico vindicaretur? ceteroqui, si criminis ejusdem societate cum illo conjungeretur, non tam substituendus esset alienæ culpæ vicarius, quam reus suæ constituendus. eodem modo Christus, quo communis exsecrationis pestem à nostro capite propulsaret, in suumque converteret, omnis debuit erroris humani culpa vacare. Sed age, videamus, quid appellatione & nomine exsecrationis & maledicti contineatur. maledicti & exsecrationis nomen, malum illud amplectitur, quod peccato cohæret; quod malum, cum bifariam dividatur, in malum scilicet culpæ & malum pœnæ, duplex etiam ex eo maledicti & exsecrationis ratio resultet necesse est; maledictum nimirum culpæ & maledictum pœnæ. itaque, cum Christus nos à maledicto redemerit,

factus

factus pro nobis maledictum, maledicti utriusque pestem in suum caput attraxit. ac primum, maledictum culpæ suscepit; non quod aliquo se scelere contaminaverit, sed quod improbi & scelerati hominis opinionem & famam non reformidaverit. nam ut Propheta inquit, *cum sceleratis reputatus est*. quam illi famam perpetuum in ipsum Iudæorum odium impudentesque calumniæ confecerant, à quibus scelestissimi veteratoris loco ac numero habebatur. ab hac eadem opinione, de ipsius improbitate, voces illæ manabant, *Non est hic homo à Deo, Samaritanus es tu & Dæmonium habes*; postremo, illæ etiam, quæ, cum ad tribunal Pilati, iniquissimo judicio circumventus, ad mortem exposceretur, audiebantur, *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* in quo licet animadvertere tectam Pauli in scribendo sapientiam. non enim dixit, *Factus pro nobis maledictus*, ne quam sceleris de Christo opinionem videretur injicere, sed *maledictum*; quod perinde est ac si dixisset, Quod erat maledictum, capiti nostro injectum, transtulit Christus in suum. Quod autem maledicto pœnæ se etiam ipse subjecerit, superfluum ac non necessarium est dicere. nam perspicuum est omnibus, qui paululum ad eam crucem aspexerit, cui lacerus ac deformatus affigitur. ad utrumque maledictum pertinere videntur verba illa ejusdem Apostoli ad Corinth. *Eum, qui non novit peccatum, qui peccatum non fecit, pro nobis peccatum fecit.* quorum verborum difficilis sane nodus explicari sic potest. *Qui peccatum non fecit*, nimirum Deus, cujus divina natura ne minimam quidem peccati cujusquam affinitatem agnoscit; *eum, qui non novit peccatum*, Christum videlicet Dominum, in quem ne falso quidem confingi criminis causa potuit, ut quæ in eum testimonia dicerentur, non tam ipsum reum arguerent, quam innocentem esse convincerent, *fecit pro nobis peccatum*, hoc est, nostra eum causa injecit ad maledictum, tum culpæ, tum pœnæ; idque duplici de causa; primum, ut evacuaretur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato; videlicet, ut ex animis nostris, quasi ex sepulcris veteribus, fœtida peccatorum cadavera eruerentur, ne quid posthac nobis rei cum illis esset: deinde, ut aliquid divini in nos amoris

documentum exſtaret; qui amor eatenus progreſſus eſt, ut Chriſtum Dei filium impulerit, tradere pro nobis in mortem animam ſuam. quod ut aliqua à nobis ex parte intelligatur, præcipit Apoſtolus, ut id ſentiamus in nobis, quod & in Chriſto Ieſu. *Hoc*, inquit, *ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu.* hoc eſt, conſiderate cum animis veſtris eam vim acerbitatemque dolorum atque cruciatuum, in quibus Chriſtus eſt mortuus, atque intelligite, in veſtrum eam caput ruituram fuiſſe, niſi ille, ob amorem in nos ſuum ſummum & ſingularem, ad ejuſdem perpeſſionem corpus ſuum interpoſuiſſet, ut per hanc rationem, intuentes in eum crebro, ad vos ipſos revertamini. exempli gratia, ſi quis nefariis criminibus, ac multis teſtibus evictus, in cruciatum ac mortem raperetur, ac ſuperveniret aliquis, qui pro imperio ac poteſtate juberet eum ſolvi, ſuoque collo ac manibus eas catenas injici, atque in ſe omnium tormentorum immanitatem exerceri: quid ille reus faceret, qui ſe præter exſpectationem tanto periculo ereptum agnoſceret? quid ageret, ſi intelligeret, liberatorem ſuum, exquiſitiſſimis pœnis affectum, & indigniſſimis modis vexatum, interiiſſe? profecto, ad res ſuas animum revocaret, ac, totus horrore correptus, in amici voluntaria calamitate, qualia ipſi perferenda fuiſſent, excogitaret. ſimiliter, cum audimus, Chriſtum fuiſſe verberibus cæſum, vinculis alligatum, cum eundem legimus, patibulatum, in calvarium aſcendiſſe, ibique ſublatum in crucem, *cum clamore valido ac lacrimis* animam exhalaſſe, niſi plane ſtupidi, niſi plumbei, niſi ſaxei ſumus, venire in mentem debeat, illa nobis, ac multo etiam acerbiora, in perpetuum ſubeunda fuiſſe, niſi Chriſtus ſe nomenque ſuum, ut diximus, ad tranſlationem noſtrorum criminum, accommodaſſet, niſi ſuis ſcapulis noſtra flagella excepiſſet, niſi noſtræ temeritatis pœnam collo ac cervicibus ſuis ſuſtinuiſſet. atque hoc eſt, *ſentire in nobis, quod & in Chriſto Ieſu.* Vale. Non. April. CIↃ IↃ C XXXVII.

XXXIII. *Lam-*

XXXIII.

LAmpas contempta apud cogitationes divitum, *præparata ad tempus statutum*. Iob cap. XII. Intuenti mihi, Hugo cariſſime, tanquam in ſpeculum, in Chriſtum Dominum, pro ſalute hominum, cruci clavis affixum, talis ille ſe offert, qualis à B. Iob, propoſitis verbis, exprimitur. nam, revera, ſublatus in crucem, tanquam fax quædam, multis magniſque virtutibus, quaſi radiis, effulſit: ſed iidem radii, apud divitum, hoc eſt, apud nequiſſimorum hominum cogitationes, non tam ad Chriſtum, ut par erat, colendum diligendumque, quam ad eundem irridendum eludendumque, valuerunt. ſed fortaſſe inepte à nobis Chriſtus cum lampadis fulgore collatus videatur, paſſionis præſertim tempore, quo tempore cuncta, quæ in eo nitent, denſiſſimis erant tenebris obſita, ut non alias magis abſconditus Deus fuerit; id quod de eo Iſaias tanto ante prædixerat; quam cum, ſublatus in crucem, omnium contumeliis & iniquitatibus patuit. Ex omnibus, quæ, in Chriſtum intuentibus, clare fulgebant ad oculos, illa quinque exſtabant ac prominebant illuſtrius; divinitas, ſapientia, fortitudo, poteſtas, & innocentia. at, quod nam horum in Chriſti paſſione vel leviter impreſſum veſtigium apparuit? quod nam horum non magis etiam quam ſolis ſplendor, ut in ejus defectionibus fit, eſt occultatum atque obductum? num potuit, denſioribus tenebris, Chriſti divinitas obtegi, quam cum ille eſt tot injuriis oppreſſus, tot contumeliis oneratus, eoque tam acerbo ſervitutis ſupplicio necatus? num ejus ſapientia potuit magis in occulto latere, quam cum ſub illa veſte delituit, qua eſt ab Herode per ludibrium indutus? num ejus fortitudo infirmior apparere, quam cum illis obſtrictus vinculis tenebatur, quibus eſt ad omnes judices, ac demum in crucem, abreptus? num judicialis in eo poteſtatis lumen minus enitere, quam cum, iniquiſſimis judicum ſententiis damnato, vi vita erepta eſt? poſtremo, num ſingularis ejus innocentia, minus potuit eluceſcere, quam cum, inter duos latrones medius, quibus erat in ſupplicio comes, animam edidit? Sunt iſta propemodum ut dicis, neque

neque ea quisquam ibit inficias; veruntamen nullæ fuerunt tenebræ tantæ, quæ lampadem illam ardentissimam potuerint ita ab omni parte sepire, ut non aliqua lux ejus erumperet, &, tanquam flamma inter nubes, effulgeret. obducebatur quidem contumeliis Dei filius, sed inter contumelias etiam prodebat sese divinitas. nam, quod est majus divinitatis indicium, quam cælum largiri? ad id, ex crucis patibulo, tanquam ex regali quodam solio, alteri ex latronibus detulit. latebat, sub indumento stultitiæ, divina sapientia, sed tandem, involucra illa perrumpens, in apertum exibat. nam, quid fuit divina sapientia dignius, quam rationem invenire, qua Deus homini conciliaretur? ut videlicet divinæ personæ vita, ex natura humana qua mori poterat, pro injuriis Deo ab homine illatis persolveretur. occultabatur sub vincula, sub laqueos, sub virgas, sub flagella, sub sonitum crepitumque plagarum, sub immane crucis supplicium, admirabilis ejus virtus fortitudoque; sed demum, ex illis vinculis caput expediens, ut Samson, in illud facinus prodiit, quo nullum ne excogitari quidem potest illustrius; nimirum, ut ad unam ipsius vocem, *Ego sum*, cohortem prætoriam, Pontificum, ac seniorum populi, familias profligaret atque prosterneret. videbatur judicialis ejus potestas iniquissimis impiorum judicum sententiis oppressa, sed ea etiam, tanquam regali quadam indignatione commota, jugum excussit, quum Pilato, temere suum in ipsum jus potestatemque jactanti, *Non haberes*, inquit, *potestatem in me, nisi tibi datum esset desuper.* velabatur quidem integumentis nequitiæ, & improbitatis, illa ejus, ne levis quidem noxæ fœdata maculis, innocentia, sed, omnibus demum involucris conscissis atque perruptis, testatior atque illustrior apparuit; primum, alteri ex latronibus, qui, se jure plecti, Christum vero indigne supplicio illo mactari, omnibus audientibus dixit; tum, universis, qui ad ejus mortis spectaculum convenerant; quibus adeo in illa ejus tenebricosæ mortis caligine, Christi probitatis splendor illuxit, ut judicium suum, quo antea eum condemnaverant, reprehenderent, ac reverterentur, percutientes pectora sua. fuit igitur Christus lampas, sed lampas contemta. quamobrem? quia, quæ propter summum splen-

ſplendorem debuerant ſuorum ad ſe inimicorum amorem & admirationem attrahere, traducta ab illis ſunt ad illudendi deridendique licentiam. nam Paradiſi largitio viſa eſt habere rationem ſtultitiæ in eo, qui non haberet ubi caput, neque in ſuo neque in alieno, locaret. mors, ultro pro ſalute hominum ſuſcepta, non eſt tributa ſapientiæ, ſed infirmitati adſcripta. judicialis illa poteſtas, qua conſtitutus erat à Deo judex vivorum & mortuorum, irriſa eſt in eo, qui vinctus ad omnium judicum tribunalia raperetur. ſumma ejus vis fortitudoque, qua tantus hominum numerus fuerat ad terram abjectus atque proſtratus, ex ea nimirum patientia apud eos eviluit, quam ille in tot iniquitatibus tanta animi æquitate ferendis exhibuit. poſtremo, ſingulari ejuſdem innocentiæ, qua, ipſis etiam Angelis, in quibus Deus pravitatem invenit, antecedebat, turpis eſt impoſita perſona impietatis audaciæque; quod nimirum legum clauſtra perfringeret, ſabbati jura diſſolveret, in Regis nomen invaderet. Quamobrem, ut videre licet, Chriſtus Dominus, Dei filius, ipſamet ſapientia, virtus, poteſtas, probitas, ſpretus, contemtus, irriſus, lampadis contemtæ formam & ſimilitudinem prætulit. Sed, quoſnam apud, lumen iſtud clariſſimum, in id ludibrium recidit? apud cogitationes divitum. rurſus; quinam ſunt iſti divites? non alii, niſi tumidi, elati, ſuperbi. quamobrem? quia iſti futuræ vitæ deſiderio non demittunt animos, ſed præſentium rerum amore attollunt. hac illi ſpe ſolum inflati, divinæ ſapientiæ, nomen induunt ſtultitiæ. Tria genera hominum in Chriſti mortem conjuraſſe traduntur; populi, Reges, ac Principes. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? aſtiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum, adverſus Dominum & adverſus Chriſtum ejus.* hi omnes, cum tantum in ſe ſcelus ex ſuperbia conceperint, quis dubitat, quin in divitum numero ponendi eſſe videantur? quid enim tantam hominum multitudinem ad Chriſti perniciem impulit, inſtruxit, armavit? ſuperbia. quos enim terrenarum rerum cupiditas ſibi devinxerat, non poterant non eum odiſſe, qui, alto mortales res omnes animo calcandas, præcipiebat. quid Pilatum, quamvis invitum, adegit, ut Chriſtum Iudæorum

dæorum sævitiæ crudelitatique permitteret? superbia; quod nimirum, Cæsaris amicitiæ præter modum cupidus, verebatur, ne, Christo ex reis exemto, in illius offensionem irrueret. quid principes sacerdotum, & seniores populi, tam implacabili in Christum odio inflammavit? superbia. etenim homines, nimium sui ipsorum rerumque suarum amantes, verebantur, ne ab exercitibus Romanis, aris, focis, ac fortunis omnibus everterentur, si ducem sibi Christum, qui in suspicionem affectati apud ipsos Regni venerat, adoptassent. quid suasit Herodi, ut sapientissimum Christi silentium ad mentis vitium referret? superbia; quod videlicet nullum, ineptis suis interrogationibus, responsum accepisset. fuit igitur Christus lampas contemta apud cogitationes divitum, hoc est, elatorum. Sed totum id, quod diximus, ad res nostras transferamus oportet, quibus, si veri si germani Christi imitatores fieri cupimus, lampadis splendor exoptandus est, cum hominum irrisione contemtuque conjunctus. Tribus præsertim de causis accidit, ut quisquam nobilis ac magnus existat. primum, si opibus ac divitiis abundet; deinde, si, quamquam illis careat, fortuna quam amplissima dignus existimetur; postremo, si, cum neque ab opibus neque ab hominum existimatione splendorem sibi aliquem extrinsecus hauriat, intrinsecus tamen, quemadmodum æterni Regis filium decet, sit pulcher & clarus: ut, quovis harum claritatum genere quisque magis nobilitatur, ita etiam majore niti ope debeat, ut ad eum splendorem aliqua hominum irrisio atque contemtus accedat. ac primum, qui divitiis præstat, facile cachinnos irridentium commovebit, si, vel iis se abdicet, vel ad pauperum inopiam sublevandam adhibeat. nam, vulgi sententia, non procul ab insania distare videtur qui eas res spernit ac negligit, ad quas, omnes fere homines, studio inflammato, rapiuntur. ex hoc eodem genere erat ille, sine fine, sed non sine causa, laudatus Iob, vir sanctissimus & innocentissimus, qui, dum omnium rerum affluentibus copiis inter suos florebat, erat ille quidem illustris, sed hic ejus splendor non parum obsolescebat ex ardentissimo ejusdem in pauperes studio, quo adeo flagrabat ut nullum in os sibi bolum inferret, quem non

non cum illis esset antea partitus; sed tum maxime in contemtum est versus, cum, in illa calamitate omnium maxima, fortunis eversus, ac ulceribus plenus, non solum eam animi æquitatem retinuit quam secundis in rebus habuerat, verum etiam ad agendas Deo gratias accessit; quæ res in magnam eum contemtionem apud uxorem & amicos adduxit. Iam vero, qui fama & opinione virtutis, etiam si res non suppetat, æstimatur, quo in contemtum veniat, dabit operam, ut ea opinio minuatur, atque ut omnes intelligant, vitia atque peccata in ipso, longo intervallo, virtutibus antecedere. id quod Paulo Apostolo videbatur ex sententia succedere, cujus epistolæ, ob sententiarum gravitatem, doctis & cordatis viris erant illustres, sed continuo corporis ejusdem brevitas, & stylus ab omni verborum ornatu promemodum nudus, omnem ingenii commendationem evertebat. epistolæ graves sunt, ajebant, & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemtibilis. Postremo, cujus honestæ vitæ splendor Deo notus est, aliis obscurus, tum profecto lampadis contemtæ similitudinem exprimet, si, Deo tantum judice ac spectatore contentus, nullam præterea vulgi admirationem plausumque desideraverit. egregia Davidis adolescentuli sanctitas, adeo ab omnibus præter Deum ignorabatur, ut etiam parentis ipsius notitiam effugeret; qui parens, cum Prophetæ Samueli sedulo flagitanti, liberos omnes, præter Davidem natu minimum, exhibuisset, rogatusque ab eodem Propheta, ut, si quempiam alium haberet liberum, coram adduceret, quasi stomachans ait, *Reliquus est puer parvulus, qui pascit oves*; tanquam si non modo non in liberum loco, sed ne in hominum quidem numero, esset habendus. at erat Deo, qui introrsum in animum spectat, probatus & clarus; aliis vero, quorum aspectum ea definiunt quæ sub oculos cadunt, obscurus & vilis. Sed, ut ad Christum, unde paululum digressa est, revertatur oratio; num se perpetuo contemni ac despici sinet? num se perpetuo in eadem patientia continebit? num semper in eodem silentio versabitur? minime. nam, quamvis lampas contemta nunc sit, non semper erit talis; sed ad certam præfixamque diem contemni se patietur. ex ea die, in con-

contemtores derisoresque suos, vim suam ostendet. veniet illud tempus, quod ejus tam diuturni silentii finem afferet, in quo admirabile hujus lampadis lumen, universum se exseret, atque admirabili derisores suos luce perstringet. at quod nam erit illud tempus? illud nimirum de quo ipse, ore Davidis, loquitur, *Cum accepero tempus, justitias judicabo*; videlicet extremi judicii dies, quo districtum justitiæ suæ gladium in suorum adversariorum jugulum demittet; quo die, ipse, qui siluit, tacuit, patiens fuit, *tanquam parturiens*, ut ait, loquetur. vocis acerbitas, qua contemtores ipsius perterrefient, aptius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato. nam, quæ parturit, cum gemitu ejulatuque, quod diu inclusum habuit in alvo, profundit. Sed quid fiet iis, qui se ad Christi ductum aggregaverunt, qui, quamvis ob virtutem clari ac nobiles, propter ipsum tamen despici, contemni, atque irrideri sustinuerunt? num semper eodem modo, spreti, contemti, & irrisi jacebunt? nihil minus. nam demum ex illis tenebris caput educent, ac multo etiam clarius, quam solis radii, fulgebunt; eruntque derisoribus suis formidini atque terrori, in eo judicio, in quo, ex Christi pollicitatione, adversus eos judices erunt. Quamobrem, mi Hugo, grave intolerandumque videri nobis non debeat, si existimatio hic nostra, paululum iniquorum sermonibus obteratur, eademque ludus improbissimis hominibus fiat; cum brevis hic labor atque contemtus, summo ac sempiterno sit præmio & gloria compensandus. Vale.

Mitto ad te hanc epistolam, satis longam ut vides; hac conditione, ne statim à prandio legas, sed te integrum in aliud tempus reserves. nolo enim, propter me quidquam matri tuæ, fœminæ præstantissimæ, quod sit illi ægre, contingere. tum, è re mea est, te valetudine quam optima uti, matremque tuam mihi propitiam habere. Iterum vale. Idibus Martii c I ɔ I ɔ c xxxvII.

DO-

XXXV.

DOMINICA RESVRRECTIONIS.

EPulemur, *non in fermento veteri*, *neque in fermento malitiæ & nequitiæ*, *sed in azymis sinceritatis & veritatis*. Tria nobis præcipiuntur hoc loco ab Apostolo Paulo. primum, ut opiparam ac pollucibilem mensam instruamus, alacriterque convivium ineamus; tum, ut fermentum ab eo omne, quantum potest, amoveamus; postremo, ut non alium nobis panem, nisi azymum anteponamus. quæ omnia, quamvis ad eum ritum cultumque spectarent, quo vetus olim Pascha celebrabatur, nihilo tamen minus, spiritualiter, in paschate, quod immolatus est Christus, retinenda esse, docet Apostolus; eoque accuratius, quo non terrestris quispiam agnus in illud infertur; sed cælestis atque divinus, Christus videlicet Dominus, qui in ara crucis, ad expiationem nostrorum scelerum, Patri Deo se obtulit. etenim *Pascha nostrum immolatus est Christus.* quocirca, fermentum, quod ab hoc convivio removetur, non est illud, quo panis inflatur; sed fermentum nequitiæ, malitiæque genus omne, quo præsertim tota animæ nostræ massa corrumpitur. *epulemur*, *non in fermento veteri*, *neque in fermento malitiæ.* similiter, panis azymus, quicum divinissimum istud obsonium componendum est, non est ille, qui, fermenti expers, comminuitur dentibus conteriturque; sed omnia nostra dicta, facta, & cogitata, pura, sincera, neque cum aliqua malitiæ commistione composita, panis azymi significatione notantur. Ad primum quod attinet, quis adeo est excors, quis adeo ingratus, quis adeo immanis, qui, si paululum ad ea beneficia animum advertat, maxima, inaudita, admirabilia, ex resurrectione Christi profecta, non continuo in ædibus animæ suæ exornet ample magnificeque convivium, non accumbat, seque hilaritate epulisque non expleat? ubi sunt isti, qui mortem existimant maximum malorum omnium, qui finem hujus

lucis, & amissionem omnium vitæ commodorum, in rebus pessimis numerant? quibus est adeo ægre, quod frater hic suus natu minor, suum videlicet corpus, quod per luxuriam & dedecus bona patria dissipavit, hoc est, in ea omnia voluptatum genera se se ingurgitavit quæ propria sunt pecudum, stolam immortalitatis amiserit. jam omnem ab animo maculam mœroris abstergant. Christo enim à mortuis excitato, restitutus est in veterem dignitatis locum & gradum. ii, qui sub veteri lege, ævum agebant, jure se poterant mœrori concedere, luctibus tradere, angoribus dedere: nam tum infelix homo, longe ab domo patria, eodem quo pecudes pastu uti, ac famem explere cupiebat, neque tamen, misero, ejus rei facultas dabatur. quid igitur erat illi reliquum, nisi horribilem suum casum miserari, & pœnas, quas luebat, cum dolore luctuque persolvere? itaque Io. Baptista, qui miserum veterum illorum hominum statum referebat, in locis aviis, desertis, longe ab hominum consuetudine, victu prope ferino vitam agebat; at vero Christus, immortalis vitæ autor, ac legis Euangelicæ norma, in urbibus, in locis celebribus, in hominum frequentia, versabatur; convivia, vocatus, non aspernabatur, non formidabat, interdum etiam invocatus inibat, ut de Zacchæo legimus, cui Christus condixit, his verbis, *Zacchae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* denique, ut de se ipse testatur, *erat manducans ac bibens.* at ex hoc recuperatæ immortalitatis beneficio, multę nos ad lætandum causæ ducunt; sed duæ in primis, acrius ac vehementius impellunt. primum, nova ac singularis, ejusdem nobis recuperandæ, à Deo inita ratio, quæ in nullius cogitationem cadere poterat. fas erat Deo, quis dubitet? unico suæ voluntatis imperio, hominem lapsum, in veterem suæ dignitatis locum revocare; poterat cuipiam ex Angelis hanc ipsam provinciam demandare; poterat alia quavis ratione nos in cælestem domum reduces facere; neque enim divina ejus omnipotentia, ut autor est Thomas, tanquam in brevem aliquem gyrum compulsa, in unico tantum invento excogitatoque concluditur; at minus homini honorificus, minus humani generis hosti acerbus, recuperatus veteris dignitatis locus, unde ho-

de homo, Dæmonis fraude, conciderat, exstitisset, si quisquam extra hominum numerum fuisset, ad hominem redimendum, adhibitus. nam *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum*. per hominem, inquit; quoniam Christi Domini resurrectio nostræ fuit resurrectionis effectrix, quatenus divina in eo natura, cujus proprium est vitam largiri, usa est Christi ejusdem corpore, tanquam pro instrumento, ad revocandos, vita functos, in lucem; quo Christus corpore, excitatus ab inferis, ad vitæ immortalis munia rediit. deinde, non ne ego, ex Christi resurrectione, omnibus plane lætitiis incesserim, si ad eas utilitates animum adverterim, quibus auctus sive potius obrutus sum? damnum, atque illud quidem irreparabile, si ad nostras vires spectemus, ex Adæ peccato contraximus; at, si cum utilitatibus iis, quæ postea consequutæ sunt ex Christi resurrectione ac morte, conferatur, reperietur, illud infra earum utilitatum magnitudinem, infinito propemodum intervallo, relinqui. orta est quæstio subdifficilis, quæ etiam nunc in hominum doctorum disputatione versatur, num videlicet Christus, suscepto humano corpore, in has se se miserias conjecisset, si non esset Adam in eam fraudem delapsus, qua nostra salus est labefactata atque convulsa; cui dubitationi S. Thomas, doctor singularis ac prudens, occurrit hoc modo; videlicet, non esse fas homini mortali ac misero, de divina voluntate, certi quidquam asserere, nisi cui eam voluerit Deus aperire; verum, sacras litteras, quoties fit in eis mentio de Christo homine, toties de eo loqui, tanquam de reparatore & instauratore humanæ salutis prostratæ atque afflictæ; ergo, si nulla ejusdem ruina antecessisset, nullum futurum fuisse qui eam rursum excitaret, atque eum in locum, unde erat collapsa, reponeret; &, quod est consequens, Deum humanam carnem non suscepturum. ô felicem casum nostrum, ad quos erigendos, eo progressa est divina omnipotentia, ut duas res longe diversissimas, immo infinito inter se intervallo disjunctas, inexplicabili nexu colligaret atque constringeret; tum, ut Christi resurrectio, non modo esset fons & origo resurrectionis nostræ, verum etiam forma, ad cujus similitudinem corpora nostra, immortalitate donata, dirigerentur.

tatis, divitiarumque immoderata cupiditas totam inficit animam, atque universum id destruit quod sua resurrectione Christus exstruxit. sed quid similitudines & exempla persequimur? est ante oculos Eva. hæc profecto mulier, neque regnum concupierat, neque opes neque divitias exoptaverat, sed vilis cujusdam pomi cupiditatem, in animum, tanquam fermenti pusillum, immiserat; quo facto, se posteritatemque suam in profundum omnium malorum abstraxit. itaque *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Duplicis fermenti generis mentionem hic facit Apostolus; simplicitatis, ac veritatis. ac primum, quid nam est simplici tam contrarium, quam multiplex? at, qui ad diem festum Paschatis digne utiliterque agendum accedit, unus ac simplex accedat oportet. quid ais? inquies; potest ne quisquam, qui sit unus numero, multiplicari in plures? potest; ac, si Davidi credimus, hoc est Spiritui sancto qui falli non potest, in infinitum; qui, de iis loquens quos hujus diei festi celebritas rejicit, *A fructu*, inquit, *frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.* præpositio *à* vel *ab*, præter usitatas significationes, interdum, in sacris litteris, eandem vim habet, quam *super.* hoc sensu, bonus ille Publicanus apud Lucam justificatus descendisse in domum suam dicitur, ab elato illo ac tumido Pharisæo. *Et descendit hic justificatus ab illo*, id est, supra illum. ex hac hujus loci interpretatione, concludit ac conficit Augustinus, addictum ac mancipatum mortalibus curis animum, plurium desideriorum ardore flagrare, plurium cupiditatum æstu fervescere, quam, albæ ad messim spicæ, frumenti grana contineant, vel, tempore vindemiarum, uvæ acinos, oleæ baccas, effundant. at non hos sibi Deum quærere, varios homines atque multiplices, sed eos tantum, è re sua esse eos, qui, ex sapientis dicto, cor simplex atque unicum habent. *In simplicitate cordis quærite Dominum.* Simplicitatis igitur azymi, sunt corda simplicium, in uno tantum Deo fixa atque locata, nec in infinitis mortalium rerum cupiditatibus sparsa atque diffusa. Iam vero, quid sit azymus veritatis, non potest intelligi, nisi antea, quid sit veritas, explicetur. cujus definitionem, si Pilatus sibi à Christo tradi pas-

di passus esset, fortasse non eo insaniæ in judicando progressus esset, ut Cæsaris amicitiam & gratiam Christi innocentiæ, anteponendam esse existimaret. Veritas, ex Augustino ad eum locum Psalmi, *Vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium?* nihil est aliud, nisi vera atque peræqua rei uniuscujusque æstimatio; videlicet, ut, quæ sunt prima, numerentur in primis, quæ autem postrema, in postremis. sed velle, quæ sunt extrema, tanquam prima sectari, hoc est plane mendacium. at, ne quis in errorem induceretur, unicuique rei Christus, in Euangelio, suum locum atque ordinem statuit, atque res spirituales & cælestes in suprema sede constituit, cum inquit, *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* sed paulo diligentius mecum, Hugo, si placet, hæc Christi Domini verba perpendito; sunt enim, non vulgari trutina, sed artificis statera, ut dicitur, examinanda. quid ait Christus? non dicit, *Primum, quærite regnum Dei, deinde, vel secundo loco, hæc omnia;* sed, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* unum tantum voluit esse gradum rerum expetendarum; cælestium nimirum ac spiritualium; ceteris rebus, nullum certum locum ac sedem attribuit, ne sit, ubi in eis affectus, tanquam vestigia, figamus; sed ea, tanquam auctarium, nobis adjicienda spopondit. at nos, contra atque Christus docuit, facimus. nam in rebus humanis tantum fundamenta vitæ locamus, cælum autem & Deum, velut accessionem & additamentum aliquod, poscimus. non est ita omnino rerum gradus ignoramus, omnino nescimus suis unam rem quamque ponderibus æstimare. nam, si, quid unumquodque valeret, videremus, solum Deum, ad quem facti, geniti, ac procreati sumus, tanquam summum & extremum bonorum omnium, expetendum esse intelligeremus, reliqua omnia non magis expetenda esse, aut pluris facienda, quam fumum, flatum, & umbram, quibus nihil solidum, nihil stabile, nihil firmum inhæret. at, quid, mi Hugo, me fiat, cui fermenti plurimum inest, immo, qui totus sum ex humanis cupiditatibus terrenisque conflatus? quomodo idoneus ad Pascha celebrandum inveniar, qui azymis careo? unde eos poscam? unde mu-

tatis, divitiarumque immoderata cupiditas totam inficit animam, atque universum id destruit quod sua resurrectione Christus exstruxit. sed quid similitudines & exempla persequimur? est ante oculos Eva. hæc profecto mulier, neque regnum concupierat, neque opes neque divitias exoptaverat, sed vilis cujusdam pomi cupiditatem, in animum, tanquam fermenti pusillum, immiserat; quo facto, se posteritatemque suam in profundum omnium malorum abstraxit. itaque *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Duplicis fermenti generis mentionem hic facit Apostolus; simplicitatis, ac veritatis. ac primum, quid nam est simplici tam contrarium, quam multiplex? at, qui ad diem festum Paschatis digne utiliterque agendum accedit, unus ac simplex accedat oportet. quid ais? inquies; potest ne quisquam, qui sit unus numero, multiplicari in plures? potest; ac, si Davidi credimus, hoc est Spiritui sancto qui falli non potest, in infinitum; qui, de iis loquens quos hujus diei festi celebritas rejicit, *A fructu*, inquit, *frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.* præpositio *à* vel *ab*, præter usitatas significationes, interdum, in sacris litteris, eandem vim habet, quam *super.* hoc sensu, bonus ille Publicanus apud Lucam justificatus descendisse in domum suam dicitur, ab elato illo ac tumido Pharisæo. *Et descendit hic justificatus ab illo*, id est, supra illum. ex hac hujus loci interpretatione, concludit ac conficit Augustinus, addictum ac mancipatum mortalibus curis animum, plurium desideriorum ardore flagrare, plurium cupiditatum æstu fervescere, quam, albæ ad messim spicæ, frumenti grana contineant, vel, tempore vindemiarum, uvæ acinos, oleæ baccas, effundant. at non hos sibi Deum quærere, varios homines atque multiplices, sed eos tantum, è re sua esse eos, qui, ex sapientis dicto, cor simplex atque unicum habent. *In simplicitate cordis quærite Dominum.* Simplicitatis igitur azymi, sunt corda simplicium, in uno tantum Deo fixa atque locata, nec in infinitis mortalium rerum cupiditatibus sparsa atque diffusa. Iam vero, quid sit azymus veritatis, non potest intelligi, nisi antea, quid sit veritas, explicetur. cujus definitionem, si Pilatus sibi à Christo tradi pas-

di passus esset, fortasse non eo insaniæ in judicando progressus esset, ut Cæsaris amicitiam & gratiam. Christi innocentiæ, anteponendam esse existimaret. Veritas, ex Augustino ad eum locum Psalmi, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* nihil est aliud, nisi vera atque peræqua rei uniuscujusque æstimatio; videlicet, ut, quæ sunt prima, numerentur in primis, quæ autem postrema, in postremis. sed velle, quæ sunt extrema, tanquam prima sectari, hoc est plane mendacium. at, ne quis in errorem induceretur, unicuique rei Christus, in Euangelio, suum locum atque ordinem statuit, atque res spirituales & cælestes in suprema sede constituit, cum inquit, *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* sed paulo diligentius mecum, Hugo, si placet, hæc Christi Domini verba perpendito; sunt enim, non vulgari trutina, sed artificis statera, ut dicitur, examinanda. quid ait Christus? non dicit, *Primum, quærite regnum Dei, deinde, vel secundo loco, hæc omnia*; sed, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* unum tantum voluit esse gradum rerum expetendarum; cælestium nimirum ac spiritualium; ceteris rebus, nullum certum locum ac sedem attribuit, ne sit, ubi in eis affectus, tanquam vestigia, figamus; sed ea, tanquam auctarium, nobis adjicienda spopondit. at nos, contra atque Christus docuit, facimus. nam in rebus humanis tantum fundamenta vitæ locamus, cælum autem & Deum, velut accessionem & additamentum aliquod, poscimus. non est ita. omnino rerum gradus ignoramus, omnino nescimus suis unam rem quamque ponderibus æstimare. nam, si, quid unumquodque valeret, videremus, solum Deum, ad quem facti, geniti, ac procreati sumus, tanquam summum & extremum bonorum omnium, expetendum esse intelligeremus, reliqua omnia non magis expetenda esse, aut pluris facienda, quam fumum, flatum, & umbram, quibus nihil solidum, nihil stabile, nihil firmum inhæret. at, quid, mi Hugo, me fiat, cui fermenti plurimum inest, immo, qui totus sum ex humanis cupiditatibus terrenisque conflatus? quomodo idoneus ad Pascha celebrandum inveniar, qui azymis careo? unde eos poscam? unde mu-

tatis, divitiarumque immoderata cupiditas totam inficit animam, atque universum id destruit quod sua resurrectione Christus exstruxit. sed quid similitudines & exempla persequimur? est ante oculos Eva, hæc profecto mulier, neque regnum concupierat, neque opes neque divitias exoptaverat, sed vilis cujusdam pomi cupiditatem, in animum, tanquam fermenti pusillum, immiserat; quo facto, se posteritatemque suam in profundum omnium malorum abstraxit. itaque *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Duplicis fermenti generis mentionem hic facit Apostolus; simplicitatis, ac veritatis. ac primum, quid nam est simplici tam contrarium, quam multiplex? at, qui ad diem festum Paschatis digne utiliterque agendum accedit, unus ac simplex accedat oportet. quid ais? inquies; potest ne quisquam, qui sit unus numero, multiplicari in plures? potest; ac, si Davidi credimus, hoc est Spiritui sancto qui falli non potest, in infinitum; qui, de iis loquens quos hujus diei festi celebritas rejicit, *A fructu*, inquit, *frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.* præpositio *à* vel *ab*, præter usitatas significationes, interdum, in sacris litteris, eandem vim habet, quam *super.* hoc sensu, bonus ille Publicanus apud Lucam justificatus descendisse in domum suam dicitur, ab elato illo ac tumido Pharisæo. *Et descendit hic justificatus ab illo*, id est, supra illum. ex hac hujus loci interpretatione, concludit ac conficit Augustinus, addictum ac mancipatum mortalibus curis animum, plurium desideriorum ardore flagrare, plurium cupiditatum æstu fervescere, quam, albæ ad messim spicæ, frumenti grana contineant, vel, tempore vindemiarum, uvæ acinos, oleæ baccas, effundant. at non hos sibi Deum quærere, varios homines atque multiplices, sed eos tantum, è re sua esse eos, qui, ex sapientis dicto, cor simplex atque unicum habent. *In simplicitate cordis quærite Dominum.* Simplicitatis igitur azymi, sunt corda simplicium, in uno tantum Deo fixa atque locata, nec in infinitis mortalium rerum cupiditatibus sparsa atque diffusa. Iam vero, quid sit azymus veritatis, non potest intelligi, nisi antea, quid sit veritas, explicetur. cujus definitionem, si Pilatus sibi à Christo tradi pas-

di passus esset, fortasse non eo insaniæ in judicando progressus esset, ut Cæsaris amicitiam & gratiam Christi innocentiæ, anteponendam esse existimaret. Veritas, ex Augustino ad eum locum Psalmi, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* nihil est aliud, nisi vera atque peræqua rei uniuscujusque æstimatio; videlicet, ut, quæ sunt prima, numerentur in primis, quæ autem postrema, in postremis. sed velle, quæ sunt extrema, tanquam prima sectari, hoc est plane mendacium. at, ne quis in errorem induceretur, unicuique rei Christus, in Euangelio, suum locum atque ordinem statuit, atque res spirituales & cælestes in suprema sede constituit, cum inquit, *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* sed paulo diligentius mecum, Hugo, si placet, hæc Christi Domini verba perpendito; sunt enim, non vulgari trutina, sed artificis statera, ut dicitur, examinanda. quid ait Christus? non dicit, *Primum, quærite regnum Dei, deinde, vel secundo loco, hæc omnia*; sed, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* unum tantum voluit esse gradum rerum expetendarum; cælestium nimirum ac spiritualium; ceteris rebus, nullum certum locum ac sedem attribuit, ne sit, ubi in eis affectus, tanquam vestigia, figamus; sed ea, tanquam auctarium, nobis adjicienda spopondit. at nos, contra atque Christus docuit, facimus. nam in rebus humanis tantum fundamenta vitæ locamus, cælum autem & Deum, velut accessionem & additamentum aliquod, poscimus. non est ita omnino rerum gradus ignoramus, omnino nescimus suis unam rem quamque ponderibus æstimare. nam, si, quid unumquodque valeret, videremus, solum Deum, ad quem facti, geniti, ac procreati sumus, tanquam summum & extremum bonorum omnium, expetendum esse intelligeremus, reliqua omnia non magis expetenda esse, aut pluris facienda, quam fumum, flatum, & umbram, quibus nihil solidum, nihil stabile, nihil firmum inhæret. at, quid, mi Hugo, me fiat, cui fermenti plurimum inest, immo, qui totus sum ex humanis cupiditatibus terrenisque conflatus? quomodo idoneus ad Pascha celebrandum inveniar, qui azymis careo? unde eos poscam? unde mu-

tatis, divitiarumque immoderata cupiditas totam inficit animam, atque universum id destruit quod sua resurrectione Christus exstruxit. sed quid similitudines & exempla persequimur? est ante oculos Eva. hæc profecto mulier, neque regnum concupierat, neque opes neque divitias exoptaverat, sed vilis cujusdam pomi cupiditatem, in animum, tanquam fermenti pusillum, immiserat; quo facto, se posteritatemque suam in profundum omnium malorum abstraxit. itaque *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Duplicis fermenti generis mentionem hic facit Apostolus; simplicitatis, ac veritatis. ac primum, quid nam est simplici tam contrarium, quam multiplex? at, qui ad diem festum Paschatis digne utiliterque agendum accedit, unus ac simplex accedat oportet. quid ais? inquies; potest ne quisquam, qui sit unus numero, multiplicari in plures? potest, ac, si Davidi credimus, hoc est Spiritui sancto qui falli non potest, in infinitum; qui, de iis loquens quos hujus diei festi celebritas rejicit, *A fructu*, inquit, *frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.* præpositio *à* vel *ab*, præter usitatas significationes, interdum, in sacris litteris, eandem vim habet, quam *super.* hoc sensu, bonus ille Publicanus apud Lucam justificatus descendisse in domum suam dicitur, ab elato illo ac tumido Pharisæo. *Et descendit hic justificatus ab illo*, id est, supra illum. ex hac hujus loci interpretatione, concludit ac conficit Augustinus, addictum ac mancipatum mortalibus curis animum, plurium desideriorum ardore flagrare, plurium cupiditatum æstu fervescere, quam, albæ ad messim spicæ, frumenti grana contineant, vel, tempore vindemiarum, uvæ acinos, oleæ baccas, effundant. at non hos sibi Deum quærere, varios homines atque multiplices, sed eos tantum, è re sua esse eos, qui, ex sapientis dicto, cor simplex atque unicum habent. *In simplicitate cordis quærite Dominum.* Simplicitatis igitur azymi, sunt corda simplicium, in uno tantum Deo fixa atque locata, nec in infinitis mortalium rerum cupiditatibus sparsa atque diffusa. Iam vero, quid sit azymus veritatis, non potest intelligi, nisi antea, quid sit veritas, explicetur. cujus definitionem, si Pilatus sibi à Christo tradi pas-

di passus esset, fortasse non eo insaniæ in judicando progressus esset, ut Cæsaris amicitiam & gratiam Christi innocentiæ, anteponendam esse existimaret. Veritas, ex Augustino ad eum locum Psalmi, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* nihil est aliud, nisi vera atque peræqua rei uniuscujusque æstimatio; videlicet, ut, quæ sunt prima, numerentur in primis, quæ autem postrema, in postremis. sed velle, quæ sunt extrema, tanquam prima sectari, hoc est plane mendacium. at, ne quis in errorem induceretur, unicuique rei Christus, in Euangelio, suum locum atque ordinem statuit, atque res spirituales & cælestes in suprema sede constituit, cum inquit, *Primum quærite regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* sed paulo diligentius mecum, Hugo, si placet, hæc Christi Domini verba perpendito; sunt enim, non vulgari trutina, sed artificis statera, ut dicitur, examinanda. quid ait Christus? non dicit, *Primum, quærite regnum Dei, deinde, vel secundo loco, hæc omnia*; sed, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* unum tantum voluit esse gradum rerum expetendarum; cælestium nimirum ac spiritualium; ceteris rebus, nullum certum locum ac sedem attribuit, ne sit, ubi in eis affectus, tanquam vestigia, figamus; sed ea, tanquam auctarium, nobis adjicienda spopondit. at nos, contra atque Christus docuit, facimus. nam in rebus humanis tantum fundamenta vitæ locamus, cælum autem & Deum, velut accessionem & additamentum aliquod, poscimus. non est ita omnino rerum gradus ignoramus, omnino nescimus suis unam rem quamque ponderibus æstimare. nam, si, quid unumquodque valeret, videremus, solum Deum, ad quem facti, geniti, ac procreati sumus, tanquam summum & extremum bonorum omnium, expetendum esse intelligeremus, reliqua omnia non magis expetenda esse, aut pluris facienda, quam fumum, flatum, & umbram, quibus nihil solidum, nihil stabile, nihil firmum inhæret. at, quid, mi Hugo, me fiat, cui fermenti plurimum inest, immo, qui totus sum ex humanis cupiditatibus terrenisque conflatus? quomodo idoneus ad Pascha celebrandum inveniar, qui azymis careo? unde eos poscam? unde mu-

lucis, & amissionem omnium vitæ commodorum, in rebus pessimis numerant? quibus est adeo ægre, quod frater hic suus natu minor, suum videlicet corpus, quod per luxuriam & dedecus bona patria dissipavit, hoc est, in ea omnia voluptatum genera se se ingurgitavit quæ propria sunt pecudum, stolam immortalitatis amiserit. jam omnem ab animo maculam mœroris abstergant. Christo enim à mortuis excitato, restitutus est in veterem dignitatis locum & gradum. ii, qui sub veteri lege, ævum agebant, jure se poterant mœrori concedere, luctibus tradere, angoribus dedere: nam tum infelix homo, longe ab domo patria, eodem quo pecudes pastu uti, ac famem explere cupiebat, neque tamen, misero, ejus rei facultas dabatur. quid igitur erat illi reliquum, nisi horribilem suum casum miserari, & pœnas, quas luebat, cum dolore luctuque persolvere? itaque Io. Baptista, qui miserum veterum illorum hominum statum referebat, in locis aviis, desertis, longe ab hominum consuetudine, victu prope ferino vitam agebat; at vero Christus, immortalis vitæ autor, ac legis Euangelicæ norma, in urbibus, in locis celebribus, in hominum frequentia, versabatur; convivia, vocatus, non aspernabatur, non formidabat, interdum etiam invocatus inibat; ut de Zacchæo legimus, cui Christus condixit, his verbis, *Zacchae, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* denique, ut de se ipse testatur, *erat manducans ac bibens.* at ex hoc recuperatæ immortalitatis beneficio, multę nos ad lætandum causæ ducunt; sed duæ in primis, acrius ac vehementius impellunt. primum, nova ac singularis, ejusdem nobis recuperandæ, à Deo inita ratio, quæ in nullius cogitationem cadere poterat. fas erat Deo, quis dubitet? unico suæ voluntatis imperio, hominem lapsum, in veterem suæ dignitatis locum revocare; poterat cuipiam ex Angelis hanc ipsam provinciam demandare; poterat alia quavis ratione nos in cælestem domum reduces facere; neque enim divina ejus omnipotentia, ut autor est Thomas, tanquam in brevem aliquem gyrum compulsa, in unico tantum invento excogitatoque concluditur; at minus homini honorificus, minus humani generis hosti acerbus, recuperatus veteris dignitatis locus, unde ho-

de homo, Dæmonis fraude, conciderat, exstitisset, si quisquam extra hominum numerum fuisset, ad hominem redimendum, adhibitus. nam *per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.* per hominem, inquit; quoniam Christi Domini resurrectio nostræ fuit resurrectionis effectrix, quatenus divina in eo natura, cujus proprium est vitam largiri, usa est Christi ejusdem corpore, tanquam pro instrumento, ad revocandos, vita functos, in lucem; quo Christus corpore, excitatus ab inferis, ad vitæ immortalis munia rediit. deinde, non ne ego, ex Christi resurrectione, omnibus plane lætitiis incesserim, si ad eas utilitates animum adverterim, quibus auctus sive potius obrutus sum? damnum, atque illud quidem irreparabile, si ad nostras vires spectemus, ex Adæ peccato contraximus; at, si cum utilitatibus iis, quæ postea consecutæ sunt ex Christi resurrectione ac morte, conferatur, reperietur, illud infra earum utilitatum magnitudinem, infinito propemodum intervallo, relinqui. orta est quæstio subdifficilis, quæ etiam nunc in hominum doctorum disputatione versatur, num videlicet Christus, suscepto humano corpore, in has se se miserias conjecisset, si non esset Adam in eam fraudem delapsus, qua nostra salus est labefactata atque convulsa. cui dubitationi S. Thomas, doctor singularis ac prudens, occurrit hoc modo; videlicet, non esse fas homini mortali ac misero, de divina voluntate, certi quidquam asserere, nisi cui eam voluerit Deus aperire; verum, sacras litteras, quoties fit in eis mentio de Christo homine, toties de eo loqui, tanquam de reparatore & instauratore humanæ salutis prostratæ atque afflictæ; ergo, si nulla ejusdem ruina antecessisset, nullum futurum fuisse qui eam rursum excitaret, atque eum in locum, unde erat collapsa, reponeret; &, quod est consequens, Deum humanam carnem non suscepturum. ô felicem casum nostrum, ad quos erigendos, eo progressa est divina omnipotentia, ut duas res longe diversissimas, immo infinito inter se intervallo disjunctas, inexplicabili nexu colligaret atque constringeret; tum, ut Christi resurrectio, non modo esset fons & origo resurrectionis nostræ, verum etiam forma, ad cujus similitudinem corpora nostra, immortalitate donata, dirigeren-

tur. etenim *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* quæ similitudo in eo consistet, ut, quemadmodum duplici Christi corpus splendore collucet; altero, qui ex beatissima ipsius anima prodit; quem cohibuit dum vixit, ne videlicet in corpus exiret, illudque minus ad patiendum idoneum redderet; altero, quem divinitas fundit ex se se, cum Christus, ex humanitate etiam, quam divinæ hypostasi hærentem habet, verus ac naturalis Dei filius sit. ad ejusdem similitudinis rationem, nitidissima Beatorum corpora, duplici circumfusa luce, fulgebunt. primum eâ, quam ex beatis ipsorum animis haurient; tum illa, quam ex adoptione filiorum Dei mutuabuntur. quæ adoptio, ex definitione Theologorum, nihil est aliud, nisi expressa quædam Christi naturalis Dei filii, similitudo; cujus erit particeps, quicunque eum fuerit numerum ac locum adeptus. ecquando hoc mortale corpus ac terreum, tantum sibi honorem, Christi resurrectione partum, non dicam spe, sed levi saltem suspicione, concipere potuisset? itaque *epulemur, non in fermento veteri.* quibus verbis hæc omnino sententia subest. Magnus est, ô viri Christiani, honor hic, vobis ex Christi resurrectione delatus; sed nolim nos nimium indiligentes; nam, moneo, non minus potest, quam ille superior, amitti. sed felicem illum, qui in ea, quæ par est, sui ipsius custodia permanserit; immo longe feliciorem, quam si ab eo nunquam gradu, ubi primo collocatus fuerat, excidisset. *Felix*, Leo inquit, *homo, si ab eo non decideret, quod Deus fecit; felicior, si in eo maneret, quod refecit.* at quomodo de hac tanta felicitate dejicimur? in fermento veteri, hoc est, in appetentia terrenorum. quid ais? solus ne rerum terrenarum amor, est tantæ nostræ dignitatis eversor exterminatorque? ita. quamobrem? quia res istæ fluxæ atque caducæ, quidquid in ipsas incidit, in se convertunt, eaque, qua ipsæ præditæ sunt, mortalitate, tanquam venenis malis imbutum, conficiunt ac perdunt: satis & plus quam satis id in se vetus expertus est Adam. quid tam in ipsum, quid tam in uxorem ipsius Evam, quid tam in ipsorum posteros, communem moriendi necessitatem attraxit, quam mortalium appetitus? credula ac cupida mulier, feralis illius pomi forma

forma ac suavitate percepta, adeo in illud exarsit, ut non antea quieverit, quam suam ex eo voluptatem expleverit. ô cupiditatem miseram! ô suavitatem quovis felle amariorem! ô pulchritudinem, quavis deformitate fœdiorem! erat quippe bonum illud lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile. *Non est tua*, Bernardus inquit, *ô mulier, ista suavitas, ista delectatio, istaque pulchritudo; &, si tua, pro parte luti, non tua, solius sed communis omnibus animantibus terræ; tua, quæ vere tua, est aliunde & alia; nam de æternitate æterna.* debuit ne hominis, ad immortalitatem nati, cupiditas in alias se se res, nisi in sui similes, fundere, hoc est, immortales atque cælestes? lapsa est libido in rebus, suo generi dissimilibus? se sui dissimillimum inventum esse sustineat. placuit illi idem, qui pecudibus, cibus? idem etiam, qui eas manet, exitus placeat. fuit illi, Ecclesiasticus inquit, pecudum cibus in amore atque deliciis; atque pecudis se instar habere cognovit. unus enim exitus hominum & jumentorum. at fortassis magnæ res operæ magnique laboris est, ab hominibus ad bestias transire. immo, nihil est tam proclive, nihil tam facile. una plane cogitatio, quæ semel rationis fines præterierit, una secum animam, æternum ad interitum, rapit. nec satis est, dicere, Nihil ego opibus, nihil divitiis, nihil honoribus ducor, sua sibi habeant regna reges, suas sibi divitias divites, suos sibi honores, quorum est ambitionis labore vita districta; non me præterit, quam sint omnes res istæ fluxæ, caducæ, breves; verum consuetudine illa, voluptate illa, carere vix possum; nullam absque ea esse vitam existimo. nam, quisquis ita affectus est, si libidinem istam domitam non habuerit, se plane interiisse non dubitet. qua tempestate, veteris legis cæremoniæ nondum erant abolitæ, si, quibus diebus nefas erat fermentato pane vesci, domi cujuspiam pauxillulum nescio quid fermenti deprehensum esse constaret, continuo de eodem, tanquam de reo, manifesto in flagitio deprehenso, supplicium sumebatur. ac sapienter Apostolus, malitiæ, fermenti vim ac similitudinem tribuit. nam, quemadmodum *paulum quid fermenti*, ut Salvator noster dixit, *totam massam corrumpit*; ita etiam quævis odii, amoris, digni-

tatis, divitiarumque immoderata cupiditas totam inficit animam, atque universum id destruit quod sua resurrectione Christus exstruxit. sed quid similitudines & exempla persequimur? est ante oculos Eva, hæc profecto mulier, neque regnum concupierat, neque opes neque divitias exoptaverat, sed vilis cujusdam pomi cupiditatem, in animum, tanquam fermenti pusillum, immiserat; quo facto, se posteritatemque suam in profundum omnium malorum abstraxit. itaque *epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.* Duplicis fermenti generis mentionem hic facit Apostolus; simplicitatis, ac veritatis. ac primum, quid nam est simplici tam contrarium, quam multiplex? at, qui ad diem festum Paschatis digne utiliterque agendum accedit, unus ac simplex accedat oportet. quid ais? inquies; potest ne quisquam, qui sit unus numero, multiplicari in plures? potest; ac, si Davidi credimus, hoc est Spiritui sancto qui falli non potest, in infinitum; qui, de iis loquens quos hujus diei festi celebritas rejicit, *A fructu*, inquit, *frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt.* præpositio *à* vel *ab*, præter usitatas significationes, interdum, in sacris litteris, eandem vim habet, quam *super.* hoc sensu, bonus ille Publicanus apud Lucam justificatus descendisse in domum suam dicitur, ab elato illo ac tumido Pharisæo. *Et descendit hic justificatus ab illo*, id est, supra illum. ex hac hujus loci interpretatione, concludit ac conficit Augustinus, addictum ac mancipatum mortalibus curis animum, plurium desideriorum ardore flagrare, plurium cupiditatum æstu fervescere, quam, albæ ad messim spicæ, frumenti grana contineant, vel, tempore vindemiarum, uvæ acinos, oleæ baccas, effundant. at non hos sibi Deum quærere, varios homines atque multiplices, sed eos tantum, è re sua esse eos, qui, ex sapientis dicto, cor simplex atque unicum habent. *In simplicitate cordis quærite Dominum.* Simplicitatis igitur azymi, sunt corda simplicium, in uno tantum Deo fixa atque locata, nec in infinitis mortalium rerum cupiditatibus sparsa atque diffusa. Iam vero, quid sit azymus veritatis, non potest intelligi, nisi antea, quid sit veritas, explicetur. cujus definitionem, si Pilatus sibi à Christo tradi paſ-

di paſſus eſſet, fortaſſe non eo inſaniæ in judicando progreſſus eſſet, ut Cæſaris amicitiam & gratiam Chriſti innocentiæ, anteponendam eſſe exiſtimaret. Veritas, ex Auguſtino ad eum locum Pſalmi, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* nihil eſt aliud, niſi vera atque peræqua rei uniuſcujuſque æſtimatio; videlicet, ut, quæ ſunt prima, numerentur in primis, quæ autem poſtrema, in poſtremis. ſed velle, quæ ſunt extrema, tanquam prima ſectari, hoc eſt plane mendacium. at, ne quis in errorem induceretur, unicuique rei Chriſtus, in Euangelio, ſuum locum atque ordinem ſtatuit, atque res ſpirituales & cæleſtes in ſuprema ſede conſtituit, cum inquit, *Primum quærite regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* ſed paulo diligentius mecum, Hugo, ſi placet, hæc Chriſti Domini verba perpendito; ſunt enim, non vulgari trutina, ſed artificis ſtatera, ut dicitur, examinanda. quid ait Chriſtus? non dicit, *Primum, quærite regnum Dei, deinde, vel ſecundo loco, hæc omnia*; ſed, *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis.* unum tantum voluit eſſe gradum rerum expetendarum; cæleſtium nimirum ac ſpiritualium; ceteris rebus, nullum certum locum ac ſedem attribuit, ne ſit, ubi in eis affectus, tanquam veſtigia, figamus; ſed ea, tanquam auctarium, nobis adjicienda ſpopondit. at nos, contra atque Chriſtus docuit, facimus. nam in rebus humanis tantum fundamenta vitæ locamus, cælum autem & Deum, velut acceſſionem & additamentum aliquod, poſcimus. non eſt ita. omnino rerum gradus ignoramus, omnino neſcimus ſuis unam rem quamque ponderibus æſtimare. nam, ſi, quid unumquodque valeret, videremus, ſolum Deum, ad quem facti, geniti, ac procreati ſumus, tanquam ſummum & extremum bonorum omnium, expetendum eſſe intelligeremus, reliqua omnia non magis expetenda eſſe, aut pluris facienda, quam fumum, flatum, & umbram, quibus nihil ſolidum, nihil ſtabile, nihil firmum inhæret. at, quid, mi Hugo, me fiat, cui fermenti plurimum ineſt, immo, qui totus ſum ex humanis cupiditatibus terreniſque conflatus? quomodo idoneus ad Paſcha celebrandum inveniar, qui azymis careo? unde eos poſcam? unde mu-

tuos sumam? me miserum! restat aliud nihil, nisi, cum spe consilium abjicere. sed vetat hoc Paulus Apostolus, non sinit, non patitur, qui, cum dicat, *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova consperſio, ſicut estis azymi*, aperit mihi aliquid, quo jacentem animum excitem, inducamque in spem cogitationemque meliorem. nam, cum jubeat nos vetus fermentum exuere, satis manifeste ostendit, hoc interesse inter spiritualem & triticeam nostram hanc massam, quod ab illa fermentum possit, si quod insit, excludi, ab hac non item. sed, quot nam dies, hi spirituales azymi adimunt? totidem, quot olim in veteri lege; septem videlicet dies. septenario autem dierum numero, universum temporis spacium, sanctorum Patrum interpretatione, notari, quia tritis tuis auribus est notissimum, prætermitto. ô summam Christianæ vitæ dignitatem! ô pulcram, hilarem, ac plenam venustatis ætatem, quæ tota in diei Paschatis celebratione traducitur. nullum statum nobis tempus definitur, nulli certi dies assignantur, quibus fermentum vitare, & azymis victitare debeamus, sed omnibus anni cujusque mensibus, omnibus diebus, omnibus horis, atque adeo omnibus temporis momentis, à fermento malitiæ recedere, atque puri & simplicis animi azymos sectari jubemur. quamobrem D. Leo divinitus, *nunquam nos*, inquit, *à paschali festo recedere, si à fermento veteris malitiæ recedimus*. atque hanc veram esse horum verborum interpretationem quam diximus, illud quoque argumento est, quod, sicut à sanctis Patribus, non minus pie quam erudite, animadversum est, non sunt scripta ab Apostolo his solemnibus Paschatis nostræ diebus, sed alio tempore anni longe diverso. Quæ cum ita sint, non has Christi modo ab inferis resurgentis ferias, tibi, matri, Isabellæ, & Alexandro, faustas atque felices deprecor, sed eos etiam festos azymorum dies, qui universum mortalis vitæ nostræ tempus, ut diximus, auferent, multo feliciores exopto. Vale. III Idus Aprilis CIↃ IↃC XXXVII.

D O-

XXXVI.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

Perterritus summis hisce caloribus, non sum ausus, domo me commovere, & ad Ædem nominis Iesu conferre, meisque Sodalibus, quæ cogitaram, exponere. verum, quia sum otiosus, ne illa intereant, tecum per litteras communicabo; eoque libentius, quo verba illa, quæ ex Euangelio Lucæ explicanda susceperam, paradoxi cujusdam instar habere videantur: *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Etenim verba hæc majorem vim præferunt ad deterrendum, quam ad præcipiendum; aliquid enim majus imperare videntur, quam ferre mortalis infirmitas possit. nam, si juberent, ut, pro humana inbecillitate, aliorum misereremur, jus poscerent, æqua postularent: sed, velle, ut pares Deo in misericordia inveniamur, non videtur satis intellectum, quid ferre vires hominum possint, quidve non possint. hominum misericordia finita est; ex contrario, Dei benignitas nullam habet oram, cujus terminis septa definiatur. deinde, si misericordia est ægritudo ex miseriis aliorum, ægritudo autem est animi quædam commotio ac perturbatio, quis, in illam æternam divinæ naturæ tranquillitatem, cadere humanarum perturbationum fluctus, audeat asserere? postremo, in oratione Dominica, ubi vera precandi forma præscribitur, unusquisque postulare jubetur à Deo, ut, parcendo miserendoque, se parem nobis exhibeat; *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* quo etiam ex loco illud videtur confici atque esse consequens, quod Dei atque hominum misericordiæ in eadem æqualitate versentur, neque unæ ab alteris qualitate ac magnitudine superentur; quod quidem novam atque incredibilem rationem continere, quivis merito dixerit. Verum, nihil nobis, hoc loco, viribus nostris impar imponitur, nihil veritati contrarium præcipitur. etenim misericordia, qua nos Deus complectitur, eadem est atque

illa, qua nos, ipso tribuente, ex miseriis aliorum afficimur; &, qui, in hac re, divisione uti contendit, rem potius perturbat quam ordinat, lacerat quam dividit. nam, quod ego veniam peccatorum impetrem, Dei misericordia est; quod injurias, mihi factas, inimicis meis largiar, Dei itidem misericordia est; quod nihil mihi ad vitæ usum desit, Dei benignitas est; quod aliorum necessitatibus de meo suppeditem, Dei itidem bonitas efficit. neque aliter se rem habere fatebimur; primum, si meminerimus, *omne datum optimum*, *omne donum perfectum*, *de sursum esse*, *descendens à patre luminum*. deinde, si verba illa Salvatoris nostri, quæ leguntur in Ioanne, in animum nostrum subjecerimus, *sine me nihil potestis facere*. quibus verbis quid aliud nobis Christus persuasum esse voluit, nisi, quidquid ab infirmitate nostra progreditur, totum id muneris sui esse, atque ex se se, tanquam ex perenni aliquo fonte, manare? perinde ac si dixisset: Non potest quisquam ex vera virtute aliquid agere, nisi à me antea & facultatem & vires accipiat; illud sine me assequetur, ut, in profundum scelerum & flagitiorum, præcipiti sese lapsu devolvat; itaque, cum recte factis præmia tribuo, quid aliud, nisi mea opera, liberalitate & munere prosequor? cum autem peccatis supplicia pœnasque constituo, quid aliud, nisi quæ sine me homines fecerunt, pœna supplicioque constringo? Iam vero, qui dicit, *Deus meus*, *misericordia mea*, nonne hic aperte fatetur, eam, qua præditus est, misericordiam, non solum Dei munus esse, sed ipsummet Deum? nam, quid aliud in Sacramento Eucharistiæ recipimus, in qua Christus, verus Deus & homo, exhibetur ac traditur, nisi Dei misericordiam, hoc est, Dei ejusdem essentiam ac divinitatem? adeo ut, cum pie & sancte ac religiose sacra illa mysteria susceperimus, vere possimus dicere, *Suscepimus*, *Deus*, *misericordiam tuam*, *in medio templi tui*; videlicet in æde pectoris nostri; quod pectus, tanquam Dei templum, sarctum, tectum, integrumque tradendum, hoc est, purum ac nudum ab omni labe servandum est. Ad permotionem autem animi quod attinet, sine dubio, nihil eam ad Deum pertinere, fatendum est, qui, ab omni concretione mortali sejunctus, longissime ab ejusmodi affe-

ctibus

ctibus abest; verum neque eorundem expers esse, nostra causa, voluit. etenim, tanquam si parum misericors esse videretur, si rem ipsam tantum nobis præstaret, hoc est, laborantibus opem afferret, divinam humanamque naturam inexplicabili nexu, in unam eandemque personam illigavit atque constrinxit, atque ex iis, quæ passus est, didicit, rebus aliorum miseris, dubiis, egenis, intimum animi dolorem afferre. neque, cum Apostolus Paulus dixit, *debuisse* Christum, *per omnia fratribus similari, ut misericors fieret*, intellexit; in omni æterni temporis spatio abfuisse à Deo misericordiam; sed de dolore hoc animi locutus est, qui cadere in Deum, ob excellentiam divinæ ejusdem naturæ, non poterat. cum igitur Deus, omnibus antea seculis, se misericordem re ipsa præstitisset, postremo, assumta nostræ carnis imbecillitate, animum etiam, ex miseriis ærumnisque nostris commotum, cum re ipsa præbuit. qua re, & hos mitiores nobis commendavit affectus, &, in exhibenda misericordia, ejusmodi consummavit affectus. At videas, inquit aliquis, non parum multos, apud quos Divina misericordia frequenter, tanquam in hospitium, divertit, hoc est, qui non parum sæpe Eucharistiam accipiunt, sævum & immanem adversus pauperes animum gerere, iras alere, inimicitias colere, odia sibi alte defigere; uno verbo, immisericordes existere. aut enim est otiosa in istis divina misericordia, aut, quod nefas est dicere, res tam suavis ac præstans immites fructus educit; quid dicendum de istis est, nisi quod divinam misericordiam, in templo corporis sui, sacramento tantum accipiunt; hoc est, premunt dentibus Sacramenta corporis & sanguinis Christi, sed Deum ab animo suo repellunt atque rejiciunt? ô monstrum! ô prodigium! fieri ne potest, ut quisquam in se fontem misericordiarum includat, nec flumina amoris ac benignitatis emittat, ut non impositas sibi contumelias obliviscatur, injurias illatas elargiatur, odia remittat, inimicitias condonet, omnes denique quotquot ubique sunt homines caritate ac benevolentia sibi devinciat? at hoc est, in quo D. Io. Chrysostomus admiratur, exhorrescit, exclamat. sapiens videlicet homo, & in primis Sanctus, ex suo ingenio ceteros spectat, ex sua admirabili sancti-

tate

tate conjecturam capit alienæ improbitatis. Atqui insignem istorum nequitiam, qui ab hujus cælestis frumenti adipe, & quasi sagina, qua frequenter implentur, nihil nisi maciem iniquitatis assequuntur, videtur notasse David his verbis, *Prodiit, tanquam ex adipe, iniquitas eorum.* nam, quod ille qui ad id celeste pabulum vel raro vel nunquam accedit, inveniatur inanis à caritate, iniquitas hujusce, tanquam ex macie, procedit; quod autem, hac cælesti pinguedine saginatus, pauperes aversetur, inimicitias exerceat, odia persequatur, iniquitas hujusce tanquam ex adipe prodit. hoc vero pulcherrimum, quod, ad exprobrandam infinitam istorum iniquitatem, non eam *ex adipe*, sed *tanquam ex adipe*, prodire testatur. nam isti sacram quidem Eucharistiam sumunt, Dei misericordiam excipiunt, suum in pectus intromittunt, sed, ad fructus Sacramenti quod attinet, quibus anima saginatur, ad misericordiæ effectus in alios exhibendos quibus quodammodo par similisque Deo efficitur, nullum adipem colligunt, sed fœdissima in dies macie tabescunt; itaque, non *ex adipe*, sed *tanquam ex adipe*, iniquitatis fluenta profundunt. Hæc sunt, quæ mihi venerunt in mentem.

Vive, vale; &, si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti; si non, his utere mecum.

VII Idus Iunii CIↃ IↃC XXXVII.

XXXVII.

FESTO SS. IOANNIS ET PAVLI MARTYRVM,

XXVI. Iunii.

INter nota senectutis vitia, Hugo præstantissime, metus numeratur in primis. nam senex, ut Poëta ille inquit, *res omnes timide gelideque ministrat.* ego, qui jam diu in hunc numerum veni, huic eidem vitio sim affinis oportet. metuo, mi Hugo, nec inficior; metuo, inquam; ac pluribus de causis ad metuendum adducor: sed non continuo, neque à te, neque à tui similibus, senex sum

sum meticulosus ac levis habendus. etenim, quod non te fugit, non omnis plane metus in vitio ponitur, non omnis timor, à forti atque constanti viro, prorsus excluditur. est aliquis timor, qui laudem habet, quique in homine considerato atque sapienti requiritur. hunc ego, ceteris meo ab animo expulsis & ejectis, retinere, amplecti atque alere conor. neque id solum est elaborandum à senibus, verum etiam ab adolescentibus, atque adeo ab omnibus qui rationis imperio ac ductu reguntur. nam metus iste, qui solus est laudabilis, non solum est senectuti, sed adolescentiæ quoque, atque omni ætati, communis. hunc igitur, qualis sit, videamus. Atqui Aristoteles in libris moralium, soli illi metui veram laudem assignat, qui oritur ex iis rebus, quas recta ratio metuendas esse præscribit; cujusmodi sunt, inquit ille, omnes infamiæ ac dedecoris notæ, omnes pœnæ atque supplicia in improbos à legibus constituta; quique eorum metu correpti, à peccando deterrentur, non meticulosi sed cauti dicuntur, non vituperatione sed laude digni censentur, non inter ineptos & stultos sed inter sapientes & graves viros habentur. at nos, in Christi schola divinitus edocti, non infamiam, exilium, fugam ac mortem, sed culpam quæ illis pœnis suppliciisque constringitur, metuendam esse, didicimus. quod si quis, nisi malo coactus, recte facere nesciat, illud pertimescat quod solum pertimescendum esse Christus affirmat, cum, *Nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus; timete eum, qui habet potestatem mittere in gehennam.* quamobrem, ex sententia Christi, ille solum certus est ac stabilis metus, qui ex gehenna progreditur, ceteri omnes inanes ac fluxi. nam ceterarum pœnarum timor, quemadmodum à doctis & sapientibus viris accepimus, non est diuturnus magister officii; quippe qui, ubi pœna abest, & licentia consecuta est, totus abscedit, ac ne tenue quidem sui vestigium relinquit. quod si, tanquam solum ac fundamentum sapientiæ, est timor, siquidem *initium sapientiæ est timor Domini*, qua nam ratione, tantæ molis substructio timori illi credatur. qui, tanquam amnis præteriens ac fugiens, quidquid sibi est commissum, subuertat ac diruat? at vero, ubi gehennæ metus substernitur, ex sapientiæ moles excitantur, quæ

ad cælum usque pertineant, ac Deum ipsum attingant. nam, ubi, Nazianzenus inquit, hic timor, ibi mandatorum observantia; ubi hæc observantia, ibi carnis munditia; ubi carnis munditia, ibi splendor; ubi splendor, ibi desiderium expletur eorum, qui res maximas, vel ipsum maximum, Deum videlicet, expetunt. Quæ anima, jactis hujus timoris fundamentis, tanquam per gradus, ad eam lucem, quam diximus, venit, jam, eo se ascendisse, pro certo intelligat, ubi Deum inveniat, ubi divinam illam immortalemque naturam, arctissimis caritatis amplexibus implicatam, sibi conglutinet, ubi suas ex eo voluptates ac desideria expleat. Quamobrem, fuerit eorum, quæ diximus, metus Aristoteli, cujus palato nihil sapere poterat præter hæc humana atque terrena, cum virtutis laude conjunctus; at nos, qui certa immortalitatis spe ducimur, quique ea, quæ sub cælo sunt, sive adversa sive secunda, contemnimus, ac pro nihilo ducimus, quæcunque damnum vel dedecus inferunt, cujusmodi sunt, falsæ accusationes, bonorum ereptio, existimationis amissio; quæcunque dolore cruciatuque aliquo corpus animumque pervellunt, cujusmodi sunt equulei, candentes laminæ, verbera, cruces, mors denique; ipsa, neque cum absint metuere, neq; cum adsint recusare debemus. at, si quis metus suscipiendus sit, ille tantum admittatur, qui ex gehennæ meditatione suscipitur; ab eo nos abripi, jactari, concuti, ab eo totos nos possideri sinamus. deinde, quid est tam homini pertimescendum, quam id, quo inde repellitur cujus est appetentissimus, cujusque causa est à natura procreatus ac genitus? quid tam formidandum, quam id, quod eo illum impellit, cujus minus sit cupiens, vel potius quod magis exhorrescat atque refugiat? quemvis interroga, quid præter cetera appetat. felicitatem, respondebit. rursus exquire, quid magis reformidet, atque horreat. miseriam, inquiet. omnino ita à natura comparatum est, ut diligamus ea quæ felicitatem pariunt, & abalienemur ab iis quæ miseriam afferunt. at, quid nam aliud præstat gehenna, nisi ut felicitatem veram amoveat, & miseriam inducat sempiternam? siquidem à Dei conspectu nos in perpetuum excludit, atq; in supplicium demergit, ex omnium malorum colluvione conflatum. sola igitur gehenna me-

metuenda est, sola, ut evitetur, ante oculos semper habenda: at rerum cererarum metus, quantum potest, removendus. nam ad ea plerunque nos adigit, quæ sunt partim impia, partim flagitiosa, partim nefaria. quam multos, metus inopiæ, ad furta ad sacrilegia, ad peculatus attraxit! quam multos metus infamiæ, ad cædes, ad seditiones, ad eversiones urbium impulit, instruxit, armavit! quam multos, in petitione honorum, metus repulsæ, falsos fieri, & contra leges ambire ac largiri coegit! quam pene innumerabiles metus miseriarum atque dolorum ad omnem animi remissionem ludumque descendere & desideria carnis perficere suasit! qui sceleris cujuspiam, flagitiique se alligant, cujusmodi sunt qui aliena diripiunt, qui ad omne genus intemperantiæ libidines suas effundunt. si interrogentur, quamobrem tam laxe habenas cupiditati remittant; respondebunt, ut sint beati, quod falso opinentur beatitudinem in his rebus includi. felix sum, inquit Ambitiosus, si ad illum honoris gradum ascendo. ô me beatum prædicat impurus, avarus, si ad eas divitias, vel ad eas voluptates pervenire liceat, quibus tantopere inhio. quam inepta, vel potius quam stulta, est istorum hominum ratio! ô nimis stulte insanos! certum est (quis enim dubitat?) peccati comitem esse miseriam, atque adeo certum, ut ne ii quidem Philosophi, qui summum bonum in voluptate constituunt, negare sustinerent; nihilominus tamen eandem vos à peccato secernere ac segregare conamini? Epicurus ille, à quo omnia voluptate metientium Philosophorum familia defluxit, animum à peccatis purum conservandum esse contendit; non quia peccata sint, sed quia solicitudine animum onerant, quæ voluptati contraria est maxime: vos vero, qui Christianis sacris initiati, divinis præceptis imbuti, parentum ac magistrorum diligentia docti, exploratum habetis ex fide, æternam ex se miseriam peccata relinquere, eorundem illecebris animum inquinatis, non solum ut miseriam propulseris, verum etiam, ut summam ex eis felicitatem, si Deo placet, adipiscamini? omnino totum ignoratis iter felicitatis & gloriæ. non est felicitas peccato finitima, sed calamitas; non est beatitas peccato proxima sed miseria, sed gehenna, quæ ex omnium mise-

miseriarum colluvione conflatur, ut diximus. cujus rei quid aliud esse dicam causæ, nisi summam peccantium cœcitatem atque dementiam? omnis igitur noster metus, totus ad gehennam revolvatur, quæ sola habet, quod jure metuatur; à ceteris rebus abstrahatur, quæ nihil magnopere formidandum continent, immo non parum multa etiam expetenda concludunt. etenim res adversæ, quæ solæ esse in metu consueverunt, siquidem iis salutariter uti didicerimus, non modo infelicitatem nullam pariunt, verum etiam ad summam miseriam aditum obstruunt, & ad æternam felicitatem iter aperiunt. memorare possem, quos ægrotatio, solitudo, egestas, à voluptatibus, à sceleribus, à flagitiis, abduxerit, & ad frugem, ut dicitur, bonam abstraxerit; ea res orationem nostram, quam par est, longius traheret. sed demus, in calamitate esse aliquid mali, quod corpus vel animum cruciet: at ego illud ajo non esse pertimescendum. quis enim, ex eo, dolore magnopere commoveatur, quod futurum sit breve? breve, inquies, quod ad viginti vel decem annos corpus vel animum laceret? etiamsi centum vel mille annos, suas in nos vires intendat, acuat, exerceat, intra breve spacium includi contendo. nam diuturnum quidquam videri non debet, in quo est aliquid extremum. quum enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit, nec aliquod sui vestigium reliquit: at sola Gehenna jure affici æternitatis vocabulo potest, cujus cruciatus, nullis dierum spaciis, nullis annorum conversionibus terminabitur, sed tam diu perdurabit, quam diu rerum omnium autor atque opifex Deus, cæli regno potietur. tum, qui in illum cruciatum dabuntur, eam illi æternitatem inesse percipient, quam à fluxis & interituris bonis non abesse opinabantur. nam, qui peccant, duo in primis stulte committunt. primum, se esse mortales obliviscuntur; tum, putant hujus vitæ voluptates & commoda esse firma atque stabilia; quæ in summo motu ac varietate versari, sane perciperent, si mens illis & ratio consisteret. ut propterea dixerit Seneca, eos, tanquam semper victuros, vivere, neque suam ipsis fragilitatem occurrere. quorum utrumque falso ipsis persuasum esse, eventus ostendet. etenim, ad finem vitæ perducti, eadem, qua ceteros, moriendi lege & necessitate

se esse

se esse constrictos intelligent, & divitiis ac voluptatibus cunctis, per mortem, eversi, sero tandem percipient, bona illa fuisse caduca atque mortalia, & æternitatem in Gehennæ ignibus inveniri, quos sibi excitarunt flagitiis atque peccatis. si posset peccator sistere cæli cursum, unde in has inferiores causas ad dissolvenda & interimenda corpora omnis vis defluit, nihil esset quod ab eo fieret prius, quo nimirum immortalitatem consequeretur. at istuc etiam in illius pœnam eveniet. nam quo sufficere æternis ignibus possit, cæli motus conquiescet, atque ita discrepantium inter se naturarum, quibus conflamur, pugna sedabitur, ut nulla adversus alteram commovere se possit. quæ sane concordia in Adamo mansisset, si ipse manere cum Deo in amicitia voluisset. quid tum postea? ô rem miram! eam immortalitatem, cujus, in suis flagitiis, tantopere erat avidus, ad declinandas sempiternas pœnas, recusabit, exsecrabitur, ac votis omnibus conabitur à se se depellere; sed vota ejus in cassum recident. nam repelletur, propulsabitur, non audietur. etenim, sicut scriptum est, *in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* hoc tam horrendum est malum, ac tantum, ut Spiritus sanctus in Isaia, ad servandum animum à peccatis purum, ferme non aliunde nos velit, quam ex hac æternorum ignium memoria, tanquam de narthecio, medicamenta depromere. *Quis poterit*, inquit, *habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* quasi velit, priusquam animum ad peccandum instituamus, id nobiscum rationis habere: Quid, si tanto nos scelere obstrinxerimus? futuri ne erimus æternis illis ignibus pares, an non? solus igitur Gehennæ ignis metuendus, quia æternus; reliqui cruciatus irridendi; quia, ad summum, pariter cum vita finiuntur. postremo, magis metuendum est illud tormentum, quod animum, quem divinitus haustum habemus, exagitat, quam quod corpus, ex vili humo confectum, excruciat: at ignis hic noster, crux, verbera, aliique cruciatus, circa corpus versantur, nec manant ad animum; contra, Gehennæ supplicium, prius atque acrius, animam arripit, quam corpus: quia summa miseria, sicut

etiam summa felicitas, simul corpus animumque complectitur. Gehenna igitur in primis, immo sola, metuatur oportet. quod animæ supplicium, non est unum ac simplex, sed, pro varietate scelerum quibus se obstrinxit, varium ac multiplex. nam anima, quæ peccavit, primum se se in res turpes & abjectas injecit, easque summi boni loco duxit, expetivit, amavit. flagitium, facinus. quid potuit facere genere suo indignius, quam, ad gloriam natam, & in spem æterni boni progenitam, velle res fluxas æternis, terrenas cælestibus, lutulentas summo & incomparabili bono præponere? quam igitur pœnam commeruit? nonne, ut eo projiciatur, quo tetra, fœtida, & horrenda cadavera projiciuntur? nimirum, ut, terræ visceribus tradita, à sempiternis illis ignibus excipiatur, ad eosque, ne commovere se audeat, tanquam clavis affixa teneatur. non potest dici verbis tantum, quantum est re ipsa magnum hoc malum. nam quid est, quod spiritualis essentia, ac propter excellentem sui præstantiam insigni libertate donata, ferat indignius, quam, alienissimo in loco, cum summo cruciatu, ita detineri, ut libere, quo velit, evolare non possit? hoc tantum continet acerbitatis & miseriæ, ut solum, si fas esset animam interire, eam posset spiritu vitaque devolvere. alterum scelus, in quod anima peccando delabitur, est illa nefaria Dei sui derelictio atque proditio. non enim potest ad hæc fluxa & caduca transire, quin simul abducatur à Deo atque deficiat. quæ nam igitur pœna tam impiæ tamque nefariæ proditionis digna invenietur? ea profecto, quæ, ob ejus magnitudinem, non est adhuc cujusquam oratione satis explicata; videlicet immortalis ille vermis, qui, per omnem immortalitatem, sceleratorum omnium mentes, sine ulla satietate, depascet. est autem hic vermis perpetuus conscientiæ remorsus, sic appellatus, quod ex peccati putredine, tanquam ex cadavere quodam, oriatur. Sed quæri inter viros doctissimos video, utrum anima, sævius ab eo quem diximus igne crucietur, an ab his perpetuis arguentis conscientiæ tanquam tædis ardentibus. at nemo est qui neget, longe eam acrius ab hac carnificina conscientæ, quam à quovis igne, torqueri. atque, ut id ita esse credamus, plusquam hominis cujusquam autoritas,

ratio

ratio convincit. ex omnibus enim illis causis (quæ tres omnino enumerantur) unde dolor aliquis altero major esse colligitur, ignis cruciatum ab angore conscientiæ superari, concluditur. primum, ex vi mali, unde defluxit. nam, si summum est malum, summus etiam sit dolor oportet, qui inde promanat; deinde, ex naturali habilitate sive aptitudine potentiæ ad excipiendum illud malum; postremo, ex nexu vinculoque mali cum ipsa potentia; nam quo arctius cum ea conglutinatur, eo etiam acrior doloris morsus exoritur. magis enim excruciat morbus, qui in visceribus hæret, quam qui in summa cute versatur. his probe stabilitis ac fixis, malum, quod inerit animæ, est omnium longe maximum atque gravissimum; nimirum, summi æternique boni amissio; cujus boni causa facti ac geniti sumus, absque ulla spe ejus recuperandi. cujus jacturæ ratio ita aperte ac dilucide se animo offeret, ut simul incomparabilem sit eidem dolorem allatura. tum, hoc malum longe aptius & congruentius est animæ, quam malum ignis, qui corporeus est, neque ullam, ex sua natura, torquendæ spiritualis essentiæ vim habet, nisi quatenus, divinæ justitiæ administer atque satelles, suam in eam vires exercet; at, hoc spirituale malum, sua vi, ac per se ipsum, rem spiritualem exedet atque pervellet. postremo, malum hoc in animam influet, seque cum ea miscebit conglutinabitque. nam, quæ intelligentia comprehenduntur, arctius animo implicantur & cohærent, quam quæ sensibus percipiuntur; nec corporea illabi animæ sic queunt, ut spiritualia. quamobrem sævius cum anima aget hic nunquam interiturus in ea vermis, quam æternus ille ignis, ad quem, tanquam ad Caucasum Prometheus, affixa pendebit. Hunc ebullientis intus in anima doloris æstum, non ineleganter D. Gregorius Magnus, habere clibani cujusdam speciem ac similitudinem, dixit; qui, in libris Moralium, damnatorum animas, inquit, intra se clibanum semper æstuantem includere. præterea confirmatur id, quod diximus, comparatione voluptatum ac dolorum, hoc modo. quæ ratio est comparatioque voluptatum animi cum voluptatibus corporis, ea est etiam dolorum inter se; at voluptates animi ita eas antecedunt quæ sensibus

percipiuntur, ut ne comparandæ quidem ad illas sint. ut etiam D. Bernardus, cum ad suos parentes scriberet, Gustato, inquit, spiritu, necesse est desipere carnem; affectanti cælestia, terrena non sapiunt; æternis inhianti, fastidio sunt momentanea. ita etiam, ad eandem rationem, longe graviora existimanda sunt animi, quam corporis, tormenta. Quæ cum ita sint, sola nobis gehenna timorem incutiat, reliqua autem mala nec extimescantur advenientia, neque exhorreantur præsentia. At sunt aliqui ex nobis, qui mortui in gehennam proruunt; & sunt aliqui, qui vivi videntesque se in eam immergunt: quos nulla salutis suæ cogitatio & cura solicitat, neque aliquis æternarum pœnarum metus exagitat. hi, velut mortui, præcipites ad inferos ruunt. qui vero ea, quæ diximus, ac multo etiam plura, quotidie auribus accipiunt, intelligentia comprehendunt, ac memoria custodiunt, neque tamen à consuetudine peccandi recedunt, hi, ut regius inquit vates, *descendunt in infernum viventes*; hoc est, ut Augustinus interpretatur, scientes prudentesque tanquam ad interitum ruunt voluntarium. At summa danda est opera à nobis, ne in aliquo istorum numero inveniamur, qui vel viventes vel mortui in illam æternam damnatorum sedem se properant agere; quod facile assequemur, si, quovis alio timore à nobis expulso, sola gehennæ formidine metuque tenebimur. VIII Idus Iulii CIↃ IↃC XXXVII.

XXXVIII.

QVA IN RE PAX VERA CONSISTAT.

NOn est pax impiis, mi Hugo, *non est pax impiis.* etiam; si opibus ac divitiis polleant? etiam si deliciis ac voluptatibus affluant? etiam si in hortulis quiescant amœnissimis, ibique in rosa delicate ac molliter recumbentes, ab omni genere molestiarum remotissimi vivant? ita. quibus igitur pax otiumque contingit? probis

probis viris, atque sapientibus. sapientes eos dico, qui ne tantulum quidem de rationis via decedunt. soli isti vera ad pacem via nituntur, ceteri non item, quamquam in primis pacis otiique sint cupidi. etenim nemo neque tam durus, neque tam asper invenitur, qui nolit sibi esse perpetuam ac beatissimam animi tranquillitatem & pacem: nam quamvis humanum genus, parentum nostrorum culpa, de vera felicitate deciderit, resident tamen quidam apud illud quasi stimuli, quibus incitatum, ad beatitudinem consequendam, omni contentione rapiatur. sed pauci omnino, ut diximus, eo se agunt, quo aggredi cupiunt. pleraque enim pars hominum, voluptatibus ac vitæ commodis inhians, quod ibi falso veræ pacis fundamenta locata esse opinetur, quo propius ad voluptatem accedit, eo etiam longius à pacis finibus abit. itaque servituti turpissimæ honestissimam pacis personam ac nomen imponit. atque, ut illud à nobis fiat, quod in principio fieri in omnibus disputationibus solet, ut, quid illud sit de quo quæritur, explanetur; constituendum est primum, quid sit pax; ne, qui ejus compotes esse cupiunt, vagari & errare cogantur, si illud sit incertum, quo, studio omni curaque, contendunt. Pax igitur, sive justitia, Platoni, qui hæc duo pro eodem videtur accipere, nihil est aliud, nisi consensus seu conspiratio partium animæ ad persequenda rationis imperia, ita ut unaquæque pars animæ, suum munus, à ratione sibi datum, exerceat sine contradictione. vel, ut Augustinus definit, pax est tranquillitas ordinis, ita ut unaquæque res in suo gradu atque ordine maneat. Et, quia similitudinibus res maxime illustrantur & patent, quemadmodum in civitate aliqua, tum pax denique agitatur, cum magistratus imperat, reliqui cives obediunt; ita etiam, ex Plotino, in hac animæ nostræ quasi Rep. tum pacata sunt omnia, cum ratio præest, & appetitus obtemperat. ex contrario, quemadmodum in civitate bellum, seditio, tumultus, exoritur, cum infimus quisque, optimis viris expulsis, Reip. gubernacula præripit, ita etiam maxima in eo homine perturbatio confusioque miscetur, in quo appetitus rationem percellat, eamque de sua sede statuque dimoveat. Quid? inquies; ubi ratio, sua sponte, appetitus imperio

perio ſervire decreverit, nonne fatendum eſt, nullas ibi diſcordias intercedere, ſed potius ſummum agitari otium ac pacem? cave, fœdiſſimæ huic, animæ cum corpore, ad omne genus improbitatis nequitiæque, conſpirationi atque concordiæ, pacis nomen attribuas. non eſt vocanda hæc pax, ſed miſerrima & infeliciſſima ſervitutis ratio dicenda. qui ſe mancipio cuidam ſuo in ſervitutem dediſſet, utrum hic pacem compoſuiſſe an deditionem turpiſſimam feciſſe diceretur? omnino, graviſſimis acerbiſſimiſq; ſervitutis laqueis collum induiſſe perhiberetur. quod nam eſt fœdius & iniquius ſervitutis genus, quam id, quod illi præſtatur, qui ex ſummis vitæ fortunæque ſordibus, ad occupandam dominatu regio patriam exceſſerit? cedo aliquem, cui libido imperet, cui ira & ambitio leges imponat, cui odium atq; amor prope vim afferat; quid hoc homine miſerius dicas? quid illis dominis, quibus ſervire ſuſtineat, improbius & immanius? dictum eſt à non nemine, ſomnum eſſe vitæ tyrannum; & recte, mea quidem ſententia; cum prope invitis nobis dormiendi neceſſitatem, tanquam compedes, indat. ſed dabo, inquit Chryſoſtomus, alium vobis tyrannum, quovis ſomno acriorem ac violentiorem; cupiditates nimirum veſtras. hæ enim ſomnum excutiunt, ac cogunt ſibi cedere. ô rem miſeram! ô tyrannidem ſævam! perturbationes animi, eam etiam, quæ eſt à natura, ſecuritatem abigunt; perturbationes animi, alia graviori tyrannide, ſomni tyrannidem ac dominatum excutiunt. quis odio vel ira incenſus, quis invidia vel ambitione perceptus, quis amore aut alio cupiditatis genere inflammatus, ſomno conſopiri, vel ſaltem partem aliquam quietis poſſit accipere? ſævæ illæ & immanes ac crudeli dominatu prementes animum curæ, advenientem ſomnum, ne ſinunt quidem accedere, ſed, ſimul ac ſe oculis objicit, rejiciunt, abſterrent, ſeque, ut ita dicam, in pedes dare compellunt. at, ſi, inquies, *non eſt pax impiis*, erit piis, erit probis ac præſtantibus viris. quippe. cur ergo tam multi, quibus nihil convenire cum ſuis animi perturbationibus poteſt, quibus fixum eſt in animo ac deliberatum, nullum cum illis fœdus inire, queruntur, nullas ſibi à cupiditatibus ſuis ferias, nullum otium pacemque contingere? cur dolent, perpetua ſe eiſdem reſi-

ſtendi

ſtendi neceſſitate teneri? cur optant, nullo, ſi fieri poſſit, interius tumultu vexari, nullaque exterius vitæ calamitate jactari? at iſti obliviſcuntur conditionis humanæ, cui nihil eſt tutum, nihil pacatum, nihil tranquillum, ſed omnia plena laboris, plena periculi, plena timoris. præterea videntur eſſe ignari loci ac temporis, in quo verſantur. nam ſi pax eſt, ut diximus, perpetua rerum ordinis conſervatio, ſine querela, cur hanc rerum concordiam & ſecuritatem hic audeant expetere, ubi perpetua eſt pugna inter carnem & ſpiritum? ut propterea Ariſtoteles, continentiam inter virtutes referendam eſſe, non cenſeat, quod ſit expers tranquillitatis & otii, & laboris moleſtiarumque pleniſſima. nam qui facultatis hujus eſt munere præditus, quamvis libidines ſuas teneat, neque eas labi in aliqua re turpi patiatur, non id tamen aſſequitur ſine ſumma vi atque labore; cum, ex contrario, in virtute nullæ inſint pugnæ, nullæ contentiones, nullæ moleſtiæ, ſed omnia perpetuo pacis vinculo colligata cohæreant. Tum tu igitur fateris, inquies, æque probos atque improbos, prorſus ab omni ſpe pacis excludi, cum antea, ſolis improbis id datum eſſe, defenderes? ſed præſto eſt Gregorius, qui hunc nobis nodum exſolvat. etenim, in libris Moralium, ex duplici vitæ genere, mortalis ſcilicet & æternæ, duplex etiam pacis genus oriri, demonſtrat. unum inchoatum & imperfectum, abſolutum alterum & perfectum. inchoatam pacem eam eſſe ait, quæ bello paritur, atque armis retinetur. hac, nulla neque amplior, neque tutior hominum generi, in hac vita ne optari quidem poteſt; qui aliam præter hanc cupit, ſomniat, exſpectat, fallitur, decipitur, magno in errore verſatur. armis, armis, quærenda pax eſt; ſæpius adverſarium repellendo feriendoque, in poſſeſſionem otii veniendum: qui autem ſine pugna ad quietem & otium adſpirat, hic, ut egregie Epaminondas Meneclidi, ex invidia ſuarum laudum laboranti, pacemque bello præferenti, reſpondit, non tam pacis otiique cupidus, quam ſervitutis amator videtur. perfectam vero pacem idemmet Gregorius eam eſſe definit, quam Simeon ſenex, pacis autorem exoſculans, à Deo in beneficii loco popoſcit, quaque viri omnes juſti circumfluent, cum huju

O 4 ſoc

beatum effici tradit. ſed longe dilucidius ac brevius, in ſuis Paulus epiſtolis totum id explicat; in quibus, amicis ad quos ſcribit, loco ſalutis, pacem præfatur & gratiam. *Gratia*, inquit, *vobis & pax à Deo*. illud nimirum amicis ſuis otium pacemque precatur, quæ à Dei gratia, hoc eſt, ex Dei conjunctione amicitiaque, decurrit; quæ non poteſt impiis ullo modo contingere. at, ſi pacis hujuſce fluenta in nos à Deo, tanquam à capite, fluunt, quid cauſæ eſt, inquies, cur, ex tam liquido fonte, tam multis inquinata moleſtiis ærumniſque prorumpant? primum, non hoc vitium eſt capitis ſed cupiditatis, non originis ſed alvei qua profluunt, non fontis ſed animi, qui, inexplebilis & inſatiabilis, multa quærendo, multa ſperando, multa timendo, placidum hunc & liquidum pacis amnem, quodam quaſi limo, deturpat. tolle cupiditatem ex animo; jam magnam tibi partem perturbationum vitæ præcideris. ſenſit hoc idem Cynicus Crates, qui, gloriæ contemtum & paupertatem, eſſe ſibi loco patriæ, narrabat; illud intelligens, nuſquam rectius, quam in paupertate ac rerum humanarum deſpicientia, pacis fundamenta ac tabernaculum vitæ locari. deinde, qui, ex Ariſtonis Chii ſententia, ſtatuerit, ſolum ac ſummum bonum, id quod honeſtum eſt, eſſe, ſolum ac ſummum malum quod turpe, cetera, ſive honores & divitias, ſive egeſtatem & dolorem, in rebus bonis maliſve non duci; poterit ne ulla rerum humanarum acceſſione vel deceſſione, pacatior vel ſolicitior exiſtere? immo paupertas, contumelia, debilitas, dolor, uſque adeo Stoicis, quibuſcum nobis multa conveniunt, non numerantur in malis, ut vetet Lucilium Seneca, boni viri calamitatibus permoveri, ejuſdemque miſericordia frangi, etiam ſi uratur, ſecetur, in crucem agatur. quamobrem? quia poteſt, inquit ille, dici miſer, ſed non poteſt eſſe. ſed quid opus eſt Seneca, ubi Paulus Apoſtolus, longe perfectior in Stoicis, iſtuc idem, non tam verbis quam re ipſa, præcipiat? nam longam illam malorum ſeriem, quam ſuſtinuit, non ſolum ad memoriam malorum ignominiæque non numerat, ſed ad prædicationem felicitatis gloriæque commemorat, ac, *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmi-*

tatibus meis. neque decipitur in gloriando. probat enim malorum perpessio, si quidquam aliud, pacem & amicitiam nobis esse cum Deo. quamobrem Leo magnus, inter fructus, qui ex pace percipiuntur, eum in primis enumerat, quod eos,. quos complexa est, Dei filios efficiat. utrum enim ita scripserit, Dei filios efficit, an, innumeris calamitatibus afficit, nihil interest. nam videamus, quemadmodum agat cum iis Deus, adversus quos patrium animum habet. Deus, inquit Seneca, quos patrio amore prosequitur, operibus, doloribus, damnis exagitat, ut verum colligant robur; at Paulus Apostolus, *Flagellat*, ait, *omnem filium*, *quem recipit* quid mirum est igitur, si viri probi tantopere mœreant, cum ipsis ad voluntatem aliquid effluit? nimirum verentur, ne omnis pax ipsis cum Deo perierit, ne ad improbos impiosque transierint, quibus pax vera esse non potest, ne, ipsorum culpa, patrium de ipsis animum Deus ejecerit. videre licet, quemadmodum Terentianus Demea filium, quem fratri adoptandum dederat, quemque propter flagitia odisse cœperat, ad se se amplius non pertinere vociferetur. improborum res secundæ, sunt quædam quasi voces, quibus Deus testificatur, se suscepisse cum illis inimicitias, neque velle, cum eis quidquam sibi rei amplius esse. Quamobrem, cui adversi aliquid accidit, si idem sit bonus vir, intelligat, se intra pacis otiique claustra consistere, unde impius, quantum potest, excluditur. præterea, hoc ipsum etiam sumat pro argumento, quod à Deo in filii loco ac numero diligatur. Vale. XVIII Kal. Augusti CIↃ IↃC XXXVII.

D E-

XXXIX.

DEVOTIO QVID PRO-PRIE SIT.

Communis multorum error, quibus non satis exploratum est, quid sit, ut ait Apostolus, spiritu vivere, huic sermoni nostro ansam attribuit. interrogatus enim sæpenumero sum, quid sit devotio, ut nos Christiani loquimur, ut veteres Patres, tum Græci, tum Latini loquuti sunt, cum fidenter, à Thoma Aquinate doctus, veram ejus definitionem attulissem, visus sum ab illis contemni, quibus alia, de hac re, opinio altius hæsisset, quique devotionis vim, sua cupiditate, non rei natura, metirentur. itaque putavi, mihi suscipiendum hunc laborem, ut falsam istorum opinionem, firmissimis rationibus, labefactarem atque convellerem; qua ex animis ipsorum evulsa, facile erit veram inserere. interea pauxillulum illud devotionis, quod mihi Deus impertire dignabitur, tecum communicabo. Sed fortasse, facere inepte, videbor, quod in partem ejus rei quempiam advocem, quæ ne mihi quidem uni sit satis. etenim verendum est, ne, distractum atque divisum, totum plane diffugiat atque depereat. sed est longe secus. nam res spirituales atque divinæ, adeo, cum aliis communicatæ, non minuuntur, ut multis etiam partibus ampliores evadant; quique constructas eas habent atque reconditas, quemadmodum salubriter iis utendum sit, prorsus ignorant; quod omnis earum usus in tradendo communicandoque versetur. ut propterea dixerit Christus, *Qui habet, dabitur ei.* Dabit habentibus, inquit Augustinus, id est, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit. tum quinque, tum septem erant panes illi, quos Christus inter tot hominum millia partiendos dividendosque curavit; qui tantum abest ut, ex ea divisione, detrimenti quicquam acciperent,

rent, ut etiam admirandum in modum excreverint, ac plures ex eorum fragmentis cophini ac sportæ impletæ sint, quam ipsi fuerint panes. quinque omnino, neque eo amplius, hordeacei illi erant panes, unde cum se hominum, millia circiter quinque, suo arbitratu atque affatim explessent, collecti sunt reliquiarum cophini duodecim. cur non huic simile quidquam putem, ex hac mea partitione posse contingere? videlicet, ut reliquiarum aliquanto plus ex ea tollatur, quam quantum tibi est demensum, & tanquam in prandium appositum. Atque omnis fere in eo noster hic labor atque opera teritur, ut falsam quorundam, de tota hac re, sententiam refellamus. ea enim ejecta atque expulsa, non erit difficile, quid sit in hac re verum, introducere. neque operæ multum in eo ponam, ut communem vulgi & imperitorum errorem aperiam, tibi præsertim, homini in primis erudito &, in hoc studio de quo loquimur, exercitato; qui rem totam apta quadam oris, oculorum, ac totius corporis compositione definiunt. Itaque devotus is apud eos esse dicitur, qui, positis humi genibus, & conjectis in cælum oculis, inter orandum, crebros ex ore singultus, atque alte ex corde suspiria petit. cum iis mihi res est, qui, falsa opinione decepti, veram ac germanam devotionem in ea voluptate sitam esse defendunt, quæ, diligentibus Deum, non parum sæpe contingit, cum sunt in aliqua rerum spiritualium vel divinarum meditatione defixi, & tum præsertim hujus virtutis arcem tenere se putant, cum, hac eadem voluptate perfusi, toti pene liquescunt ac diffluunt. quæ opinio, ex pravis orta radicibus, quid mirum, si sui similes, hoc est malos fructus, educat? vera virtus nemini unquam fraudi fuit: at spirituales istæ deliciæ, si male iis uti consueverimus, non leve nobis damnum possunt inferre, ut infra videbimus; non igitur eam virtutis laudem habent, quæ devotioni debetur. ac primum, quantum est in eo tandem mali, quod à Deo nos avocant atque sejungunt! nam, qui se immoderatius huic voluptati tradiderunt, simul ac ab ea deseruntur, continuo orationi studium, ac cetera pietatis officia, interdum etiam ipsum suavissimum Christi jugum

gum abjiciunt; quo quid potest perniciosius accidere! deinde, qui, hac spirituali dulcedine captus, ad recte faciendum impellitur, nomen commutat, atque ex devoto fit voluptarius ac delicatus. quis unquam, qui se pro altero devovisset (unde devoti nomen inventum) ad voluptates, ad delicias, amœnitatesque, properandum existimavit, ac non potius res asperas, graves, difficiles, perpessuque molestas, sibi esse paratas intellexit? Decius uterque, pater & filius, cum se pro Rep. Quiritium, exercitu, legionibus, auxiliisque Pop. Romani Quiritium, devovebat, solatia, ludos, jocos, vel vacuam ab angoribus vitam meditabatur? immo, id, quod postea re ipsa præstitit, volvebat animo, ut armatus in equum insiliret, ac se in confertissimos hostes immitteret, atque, obrutus telis, gloriosissimam mortem oppeteret. plena est exemplorum antiquitas, quibus abunde docemur, devotos non ad otium quietemque vocari, sed ad omnes casus impelli, quos res illius tulerit cujus gratia se se devoverunt. tertio, qui se pro altero devovet, pro hac sua egregia in illum voluntate nihil expectat, nisi voluptatem, quam percipit qui bene mereri de altero studet; præter hanc, nullam sibi ex ea utilitatem & commodum expetit: ita etiam, qui divino cultui ac famulatui se totum addixit, si spiritualium harum deliciarum emolumentum ac præmium exquirat, non tam Dei honorem & gloriam, quam suam utilitatem & commodum, ea devotione esse quæsitum ostendet, nec magis Deo, quam sibi ipse, devotus habebitur. quid putas esse causæ, cur sæpius, quam lubeat ac placeat, hæc spiritualia nobis solatia eripiantur, nisi ut devotionis nostræ periculum fiat, utrum videlicet tota revolvatur ad Deum; an breviore quodam gyro atque ambitu, ab amore nostri profecta, ad nos vertatur ac redeat? qui amor nostri facile se prodet, si ad diligendum Deum, ejusque mandatis obtemperandum, ea nos voluptas impellat, quæ ab ipso redundans, cordis nostri sinu recipitur. si quis sancte affirmaret, omnem suam operam & studium, omnes suas curas & cogitationes se tibi devotas habere, jussusque à te, vel quidpiam agere, vel quopiam iter habere, nusquam se gradum facturum diceret,

ret, nisi antea, laboris minuendi vel itineris leniendi gratia, multa sibi suppeditarentur, nonne ejus tibi devotio levis atque irridenda videretur? hoc eodem vitio laborabat sponsæ dilectio, quæ, procul ab omni labore ac solicitudine, sponsum suum, in lectulo & in rosa cubantem cupiebat amplecti. contemsit eam sponsus; & merito; atque, ut erroris argueret, *Ego*, inquit, *flos campi.* quibus verbis nonne aperte ejus mollitiem jugulavit? nonne ostendit, verum devotionis & amoris argumentum esse non devoventis se quietem, non voluptatem, non otium, sed multorum perpessiones laborum atque ærumnarum? nonne diserte fatetur, nihil ejus amorem se se morari, quæ suam malit ex ipso voluptatem explere, quam ipsius voluntati studiisque fortiter obsequi? Campi mentio quartam nobis rationem aperuit, qua demonstretur, devoto homini nihil fere rei esse cum istis voluptatibus ac deliciis, quæ res, patriam jam ac domum adeptis, recte conveniunt, ubi & loci ad amœnitatem comparantur & ad quietem lecti sternuntur, non autem se in campo exercentibus, vel dantibus se labori & itineribus. qui se Christo devovit, si vere devotus haberi velit, meminerit, se esse hic, non in domo sed in campo, non in patria sed via, ubi, ad palmam supernæ vocationis properanti, nihil æque obsit, ac brevis quæcunque mora atque dilatio. at istuc, inquies, sponsam non effugerat, quæ quum suavissimis sponsi complexibus inhiaret, adeo viæ cogitationem non dimittebat, ut non alias magis se fore in via existimaret, quam quum sponso arctissimis implicata nexibus adhæresceret. sæpe enim ex eo audierat, cum diceret, *Ego sum via, veritas, & vita.* nimirum via & terminus viæ. at sponsa, utpote nondum satis edocta, ac nimium harum deliciarum appetens, facile se ipsa in nomine viæ decipiebat. initium enim viæ pro via putabat. quod initium, cum mordicus arreptum detineret, se à via excludebat, & in ipso sponso sponsum amittebat; qui sponsus, simul via & initium est viæ; via quidem ut Deus, initium autem viæ ut homo; quod fatetur de se ipso, cum dicit, *Dominus possedit*, id est, creavit, *me in initio viarum mearum.*
quis;

quis, viam aliquam ingressurus, in ejus aditu constitit, nec progressus est longius? à Christo quidem homine, in quo sunt omnes isti amores, suavitates, ac deliciæ, incipiendum; sed statim properandum est ad eundem Deum. ut, qui, similis sponsæ, nimis harum voluptatum cupidus, non ferens labores atque molestias, quæ à Dei famulatu non possunt esse sejunctæ, ad Christum hominem sæpius resolvatur, hic, relicta via, ad caput viæ recurrat. non erat talis Paulus Apostolus, qui in hoc virtutis genere adeo ab omni parte perfectus, ut non quærat, quem appellet devotum, qui illum cognoverit. hic, inquam, vir tantus, omnibus, ut ajunt, velis remisque tendens in Deum, Christum hominem, unde solverat, tanquam retro, ac post tergum, sibi reliquit. nam, *Si cognovimus*, ait, *secundum carnem Christum; sed nunc jam non novimus.* non erat talis ille, de cujus singulari patientia ac sanctitate, nulla unquam ætas conticescet, beatissimus, inquam, vir Iobus. hic vir, nunquam satis laudatus, multorum perpessione malorum, ostendit, egregiam suam in Deum voluntatem & studium, non ex hac hilari, jucunda, & humanitatis, ut ita dicam, plenissima, Dei ejusdem in ipsum facie, sed, ex intimo cordis affectu prodire. nam, Deo laudanti, ac ceteris eum hominibus præferenti, perpetuus humani generis hostis, Quid mirum est, inquit, si tibi morigerus est, quum tuis pene humeris feratur in cælum? at exue eum liberis, opibus ejice, fortunis everte, tum profecto, eversus ejectusque finem faciet te diligendi, ac tua jussa faciendi; *tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Dei facies, Gregorius inquit, est, hoc loco, respectus ejus gratiæ. sunt enim non parum multi, qui tantisper Deo gratias agunt ac benedicunt, quoad hilari lætoque, ab eo, vultu respiciuntur; hoc est, quoad ipsis, Dei munere, prospere ac feliciter cuncta succedunt; at si, facta rerum commutatione, incipiant pauca vel plura evenire teterrime, continuo querelæ & lamentationes oriuntur; quique Deus antea celebrabatur ac laudabatur, postea accusatur atque deseritur. at non erat ex hoc numero iste, cui non majorem patienti tribuimus laudem, quam devotionis. nam quocunque à Deo vul-

vultu respiceretur, sive tristi sive læto, pari in eum ardore ferebatur, non autem ex bonis rebus vehementiori, ex malis, ut plærique faciunt, remissiori. ut satis appareret, eam, quam cum Deo amicitiam haberet, neque spem præmiorum, neque fructum, quem tum caperet, sed verum amorem studiumque conflasse. felicem illum, quem neque res secundæ neque adversæ de eodem mentis statu dimovent, neque quicunque flatus hac illac impellit. hic, si uspiam est, communem hominum conditionem egreditur, ac proxime ad Dei naturam accedit. nam hominis proprium est, esse mutabilem, & nunquam in eodem statu consistere; at, non mutari, proprie convenit Deo, *apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*. Sed respondendum est argumento, quo nobis potest occurri. nam si, inquies, devoto homini, perniciosæ sunt spirituales istæ deliciæ, omnino, cum suppetunt, respuantur ac rejiciantur. at, nihil est, quod faciendum sit minus. ac, vide, si hæc tibi rerum divisio satis ad hunc locum apta videatur. Ex omnibus fere rebus sunt quædam quibus frui, quædam quibus uti debeamus. iis fruamur oportet, quæ hominem beatum efficiunt. hæ dignæ sunt, in quibus omnes spes nostras, omnia studia, omnes cogitationes, fixas atque locatas habeamus. nam frui, nihil est aliud, nisi, ut Augustinus definit, amore alicui rei inhærere propter se ipsam. id autem, ut omnia quæras, investiges, scruteris, nihil est nisi ipsemet Deus. contra, iis utimur, quæ, ad aliquid aliud consequendum, tanquam media, traduntur. exempli gratia, quopiam iter habenti, quadrigæ, pedes & navigia præbentur, ut, eorum celeritatibus & cursibus, vis etiam ac celeritas nostra juvetur. atque hæc, non per se ipsa, sed propter finem cui nata sunt, expetenda esse, nemo est qui dubitet. quis enim, nisi stultus, equum vel navigium nactus, quo celerius feratur in patriam, ita eo delectetur, ut, ejus gratia, patriæ persequendæ cogitationem abjiciat? ex hoc eodem numero sunt illæ jucundissimæ suavitates, quæ interdum, orantes, vel pium aliquod opus exercentes, summis liquefaciunt voluptatibus. nam ejusmodi voluptates perinde nos, ad cælestem patriam pro-

properantes, adjuvant, ut viatorem equi atque navigia. earum enim vi, anima recreata reficitur, & incitatiore in cælum cursu provehitur. sed cavendum, ut diximus, ne plus æquo earum rerum suavitate delinitis idem nobis eveniat, quod olim Achivorum exercitui, & tot navium rectoribus, accidisse narratur, qui ita profecti sunt ab Ilio, ut, profectione læti, piscium lasciviam intuerentur, ut ait Pacuvius, nec tuendi satietas caperet. etenim, non modo, ad celeritatem itineris, utilitas ab eis nulla proveniet, verum etiam damnum & impedimentum orietur. quod ne accidat, cum maxime deliciis istis affluimus, danda opera à nobis est, ut infirmitatis nostræ nobis veniat in mentem, cujus causa illæ tanquam vehiculum aliquod datæ sunt, quo minore negotio atque labore, per hujus vitæ salebras & saxa, festinemus in cælum. ita enim fiet, ut, ex recordatione miseriarum nostrarum, potius ingemiscamus, quam aliqua inutili voluptate commoveamur. si noster animus ita robore viribusque præstaret, ut totum hoc iter in cælum pedibus posset, ut ita loquar, excurrere, nihil esset opus ejusmodi præsidiis; sed, quia ita jacet debilitatus ac fractus, vix ut ingredi valeat, ideo his solatiis, tanquam navigiis rhedisque, adjuvatur in cursu. Christus Dominus, qui Deo, pro salute nostra, se se devoverat, quia robustissima animi firmitate erat, nullis ejusmodi præsidiis sublevatus, asperam, incultam, vepribus, spinis saxisque obrutam viam, singulari celeritate confecit, & (quemadmodum loquutus est David) in eundo, giganteis usus est passibus. etenim, ab omni solatio destitutus, summa animi alacritate ac diligentia, inopem, egenam, & refertam calamitatibus omnibus vitam exegit. nos, qui, infinito intervallo, infra ejus robur validitatemque versamur, egemus vehiculis, quibus eo perducamur, quo ille sua se virtute perduxit. At, sit mihi, inquies, animus vere devotus, sit purus, sit ab omni cupiditatis suspicione sejunctus, nihil ejusmodi solatiis inhæreat, utatur eisdem ut instrumentis ad serviendum Deo viventi, cui se devovit; num idcirco tam sæpe, ut accidit, sim ab hoc præsidio deserendus, quod imbecillitati meæ esse comparatum

 affir-

affirmas? cur non peræque illud mihi semper profluat purum, nullaque tentationum fæce corruptum? istud cum optas, illud optare videris, quod esse non potest, & simul te in viis Domini plane hospitem ac rudem ostendis; in quibus perpetua uti prosperitate, ac diutius esse uno eodemque statu, concessum est nemini. nam videmur interdum, circumfluentibus undique divinis auxiliis, tanquam Dei manibus ferri, interdum, ab omni ope deserti, humi procumbere, atque omnibus, ad nos erigendos, viribus exui. quid? nonne sponsa ipsa, Deo longe carissima, hanc ipsam infirmitatem imbecillitatemque, in eo persequendo, conqueritur, ac demissis eum precibus orat, obsecrat, ut ab ipso trahatur? *Trahe*, inquit, *me post te.* hujus vicissitudinis causa, tanquam ex nuce nucleus, ex illis Hieremiæ verbis extrahi potest, *Non est hominis via ejus.* at, quia, ut est in proverbio, qui nucleum esse vult, frangit nucem, quo spiritualis succus, sub his verbis latitans, cordis palato degustandus exhibeatur, aperiendum est antea, quid, viarum vocabulo, significetur. hoc nomine, in sacris litteris, interdum divinæ in homines animadversiones intelliguntur, interdum etiam, ut hoc loco, omnia illa solatia atque præsidia designantur, quibus laborantes Deus amplectitur, fessos recreat, jacentes extollit, labantes timidosque confirmat. itaque David, qui hæc sedulo versabat in animo, in hæc verba prorupit, *Universa via Domini, misericordia & veritas.* his patefactis, quid in illis Hieremiæ verbis lateat, apparet; nimirum, homines prosperam, æquabilem, perpetuamque felicitatem sibi fingere, secundo vitæ, sine ulla offensione, cursu; contra, aliam nobis Deum viam insterhere, variam, tortuosam, inæqualem, modo lenem, modo asperam, interdum planam, interdum arduo difficilique ascensu. omnino Hieremias vult esse nobis persuasum, qui se alteri devovit, totum debere esse, in illius potestate, &, quam ille dederit sortem, accipere. quamobrem, si quis, cum aliquid pie, juste, caste, vel cum aliqua alia virtutis laude, gerit, sentit se intus cælestis dulcedinis rore perfundi; sciat, illud sibi solatium à Deo commodari, non donari, semperque eidem esse in-

integrum, illud revocare cum velit. tanquam in possessionem suam se venisse, existimabat ille, qui, diffluens hujusmodi consolationibus, dixerat, *Non movebor in æternum*; sed postea, spoliatus omni solatio, factusque conturbatus, intellexit, non sui juris, sed alieni arbitrii ac dominationis, totam rem esse. Quid igitur devotus vir, inter saxum atque aram positus, agat? conditionem miseram! si deliciis cælestibus affluat, sit in metu oportet; si careat, labore & ærumnis contabescat. illud, opinor, faciat, quod suarum rerum incerti faciunt; nimirum, ut sapientis cujuspiam consilium exspectet, à quo, ex incerto certus, consiliique compos, dimittatur. Ecclesiasticum igitur consulat; hic illi respondebit, ut *in die bonorum ne immemor sit malorum, & in die malorum ne immemor sit bonorum*; videlicet, ut, in affluentia consolationum, non se totum eisdem permittat ac tradat, sed perinde utatur, ut statim, ex Dei arbitrio qui dedit, si veniat usus, dimittendæ sint; contra, in privatione earundem, non demittat animum neque abjiciat, sed ad superiorem copiam eum revocet; quam copiam putet posse rursum in se recidere. fere obrutus spiritualibus deliciis regius David, adversus impendentem inopiam, hac se ad Deum oratione munibat, *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Augustinus circumfusum his eisdem voluptatibus animum, ne in illis hæreret, ita ad cælestium rerum contemplationem advocabat: Quibus verbis dici, aut qua cogitatione capi potest præmium, quod Deus in fine daturus est, quando, ad consolationem hujus itineris, tantum dedit de Spiritu sancto! sponsa vero, ab omnibus hujuscemodi auxiliis propemodum nuda, contra præsentem inopiam clamat post sponsum, *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* tantum in sponsi benignitate præsidii sibi positum esse fatetur, ut, vel solo ipsius odore recreata, viam mandatorum Dei cursim se esse confecturam glorietur. neque mentitur. nam solus Christi odor vel ignavissimum quemque revocare potest in cursum. his artibus, qui vere devoti laudem appetit, se tuetur. unde illud etiam assequitur, ut ingruentium tentationum mœstitiem non minus convertat in

 gaudium,

gaudium, quam apes vertere in mel dulcissimum solent amarissimum succum, quem ex thymo decerpunt. pulsis igitur voluptuosis istis ac pene puerilibus deliciis, inde, quo aggredi cupiunt, sola ac germana devotio in sua sede ac loco collocetur. Est autem devotio, si universam ejus vim explicari definitione postulas, alacris ac promta voluntas, ea omnia præstandi, quibus Dei cultus continetur; quique hac voluntate præditus est, devoti nomen assequitur. talis erat multitudo filiorum Israel, tum, cum obtulit, mente promtissima atque devota, primitias Domino. Sed, ut tandem redeamus cum iis in gratiam, qui sine delectatione Deo servire non postulant; cum hoc promtæ voluntatis in Dei cultum affectu, quem devotionem appellari diximus, perpetua hilaritas lætitiaque conjungitur. aut enim ille commovetur ex divinæ bonitatis cogitatione; & tunc quomodo ea potest cogitatio à voluptate abesse, quæ tota revolvatur ad eum, in cujus dextera delectationes inhærent? unde, non tam doctus quam expertus, Regius inquit Vates, *Memor fui Dei, & delectatus sum*: aut hic idem affectus ex memoria ac detestatione nostrorum scelerum peccatorumque progreditur; ac tum quidem, quamvis, à principio, maximi doloris comitatu instructus incedat, attamen continuo in multo majorem lætitiam incurrit, quæ totum illum dolorem exhauriat, & in se convertat. Vale. Kal. Augusti CIↃ IↃC XXXVII.

IN

X L.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.



Ereor, HUGO VBALDINE, *ne me ingrati crimine arguas, quod nondum muneri, à te misso, ne salutem quidem, remiserim. sed non est, quod me ingratum appelles. nam exspectavi occasionem ac tempus, unde sumerem aliquid, ad te remunerandum, si non pari, at grato tamen, munere. itaque, his feriis, æterna Sanctorum felicitati sacris, scripsi sermonem hunc; quem, muneris loco, ad te mitto; videlicet verba pro rebus, levia pro gravibus, inania pro solidis. sed, non piget me neque pudet, quod, in referenda gratia, tanto tibi inferior inveniar. nam facerem injuriam, si tecum, homine locupletissimo, modicis opibus homuncio, certare muneribus poscerem. data est opera à me, ut brevis essem. nam animadverti, duos priores Dialogos tibi minus gratos exstitisse, quod essent longiusculi, itaque nondum totos à te esse decursos. at meum erit, posthac immodicum istud scribendi studium compescere, atque intra mediocritatis terminos cohibere. hac de causa, Dialogum de Concionatore, magna ex parte perfectum, atque ad exitum festinantem, inhibui, nec passus sum progredi longius. paulo enim mihi in eo liberalius indulsi: nam volo tibi, meis scriptis, voluptatem, non molestiam, afferre. quod si mihi minus ex sententia contingat, ne scribam potius, quam odio tibi sim. Vale.* III *Kal. Novembr.* CIↃ IↃC XXXVII.



Eſtus ac ſolemnis hic dies, Sanctis omnibus, qui in cælo ſunt, ſacer, rationem nobis & viam, ex Euangelio, proponit, qua felicitatem aſſequamur, ad quam unuſquiſque, naturali quodam inſtinctu, ſtudio inflammato rapitur, & in qua adipiſcenda omnes nervos ætatis induſtriæque ſuæ contendit. nam, quamvis, ob peccatum, à vera felicitate deciderit, attamen reſident in eo quidam ſtimuli; qui eum quieſcere non ſinant, eatenus, quoad illa potiatur. quid verbis opus eſt? nullum ab homine flagitium ac ſcelus admittitur, niſi ad eum finem, quo ſit beatus. verbi gratia, qui, mulieris cujuſpiam pulchritudine captus, inſanit, tum demum ſe fore beatum exiſtimat, ſi ſuam ex ea poſſit voluptatem explere. ex hoc numero ii erant philoſophi, qui ſummum bonum, corporis voluptatibus, definiebant. quid hoc homine ſtultius, quid inſanius, dici vel excogitari poteſt? pro explorato habet, peccato, tanquam umbram, comitem eſſe miſeriam; ac putat, ob id ipſum, non ſolum ſe fore non miſerum, verum etiam omni ex parte beatum. ſed omnium una regula eſt, quam, optandum eſt vehementer, eſſe omnibus notam; nimirum, non eum eſſe beatum, qui, quod diligit, aſſequatur ac teneat, ſed eum, qui illud tantum diligat, quod dignum ſit ſolum cui ſe totum dedat, in eoque diligendo omnem ſuam operam ſtudiumque conſumat. ſunt alii, qui felicitatem in eo conſtituant, ut poſſeſſionum ſuarum fines longe lateque protendant; ut dignitate, potentia, divitiis, atque opibus valeant; in quos, ita ut æquum eſt, dici non poteſt. velim ſcire, quid ad eos boni ex felicitate perveniat. at, ſi recte velint agere, illud reſpondebunt, quod, omnium Philoſophorum ſententia, (qui modo ratione & via philoſophantur) aſſeritur, idcirco ſe felicitatem expetere, ut meliores evadant. nam melior fit homo ex felicitate, quam ex miſeria. at fieri nullo pacto poteſt, ut, quod eſt longe nobis deterius, aliquam ad nos perficiendos vim habeat; immo illud aſſequatur, ut nos in ſui ſimilitudinem attrahat, eoque, quo ipſum eſt, loco numeroque conſtituat. hic liceat

ceat

ceat exclamare ac dicere, O rationem illius ineptam ac stultam, qui beatitudinis, hoc est, sui ipsius perficiendi, gratia, ad hæc inferiora revolvitur! nonne vides, miser, omnia hæc, unde felicitatem expetis, esse viliora te ipso, aurum, argentum, gemmas, regna, imperia? Vis fieri melior atque pretiosior, quam es? alio te convertas oportet; ibi quæras, perscruteris, investiges aliquid, quod te probitate, dignitate, ac pretio antecedat. sed, quoquo te converteris, sive in terram sive in cælum, nihil te carius invenies, ne in Angelis quidem, quibus, in cælum receptus, par es similisque evasurus. quis igitur erit homine melior atque præstantior? unus dumtaxat; nimirum Deus. *Melior est te*, inquit Augustinus, *qui fecit te.* quid ais? inquies; ergo, quo melior fiam, Deus è cælo attrahendus est, mihique jungendus? rem incredibilem narras. ecquis ad tantam felicitatem aspirare audeat, ut Deum sibi posse speret aliquo nexu vinculoque conjungi. at, nulla res est tam facilis, neque tam jucunda. Rem miram; longe minori negotio atque labore, rerum omnium effector ac Dominus obtinetur, quam ulla earum rerum, quas diximus. nam, si velim fieri dives, vel Princeps, vel Rex, inanem operam sumam; at, si velim mihi Deum amore benevolentiaque conjungere, non erit res unius anni, vel mensis, vel diei; sed momentum per temporis exiget. nam, *Amicus Dei*, ut inquit ille, *si volo, nunc fio.* itaque, simul ac voluntas accesserit, ultro ille huic meæ voluntati se offeret, seque mihi totum possidendum ac diligendum objiciet. immo antea quam, me velle, contingat, cum eo fœdus amicitiamque coire, amorem mihi suum deferet, ac me revocabit absentem; reducet, errantem, in viam; vulneribus affectum, sanitatis compotem reddet; anima spoliatum, reducem in vitam efficiet. at, unde accidit, ut alibi potius, quam in Deo, extremum atque ultimum bonorum quæratur? inde profecto ortum existimo, quod falso opinamur, in rebus caducis ac fluxis duo illa reperiri, quæ non possunt esse à felicitate sejuncta; nimirum ut nostro arbitratu vitam agamus, atque, ut omni solicitudine ac dolore careamus. at horum utrumque, Christus Dominus, in Euangelio, ab hac vita mortali, ærumnosa, ac misera

ra abesse, atque in illa sempiterna, ac bonis omnibus cumulata, sita esse, palam edicit. *Beati, qui lugent; quoniam ipsi consolabuntur. beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur. beati, qui persecutionem patiuntur; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* luctus, lacrimas, insectationes, calumnias, iniqua judicia, huic tempori præsenti assignat; solatia, pacem, satietatem, regna, futuro seculo attribuit. itaque insanit ille, qui vitam hic ad voluntatem suam fluentem efflagitat. *quomodo enim*, ut Augustinus inquit, *vivere poscit ut vult, qui non potest vivere quamdiu vult?* cedo mihi Regem, eorum, qui sunt, omnium maximum ac potentissimum; rogabo, num agat ut velit. ne vivam, si respondebit, cuncta sibi ex sententia succedere; immo multa sibi fatebitur tetre atque infeliciter cadere. Verum, adeo insitum & innatum est singulis hoc desiderium vivendi ut velint, ut multi, forti ac magno animo præditi, quibus id minus succedit, inducant animum, velle, quidquid prosperi, vel adversi, casus attulerit. hinc vetus illud proverbium est ortum, cujus meminit Plato, in suis de Rep. libris; *Quoniam non potest id fieri quod vis, id velis quod possis.* verum, qui sic erit affectus, fortis quidem & patientis laudem, non autem beati viri nomen, assequetur. aliud enim est longeque diversum, quidquid accidat, fortiter patienterque perferre, quod ad tolerantiam malorum pertinet: aliud, secretis malis omnibus, in summa ac cumulata bonorum omnium complexione versari; quod est proprium felicitatis. simili ratione, non potest hæc vita, innumeris ac prope infinitis calamitatibus miseriisque referta, sine labore ac dolore traduci. velis nolis, sudes, labores, doleas, ingemiscas oportet. illa, illa inquam, futura vita, quæ nobis in cælo promittitur, hoc præstabit; interea compara te ad laborem, atque ad perpessionem omnium malorum. hoc perspicuum est adeo, ut cujusquam orationem non desideret. quem enim invenias, qui à communibus miseriis eximatur? ad illam cælestem patriam properet necesse est, qui vacationem ab angoribus postulat. illa nobis pacem, sine controversia, tribuet; illa quietem, sine labore, pariet; illa voluptatem, sine dolore, lar-

largietur; illa denique, qui ipsa digni fuerint, in possessione felicitatis æternæ constituet. atque illud solum, quod modo diximus, nimirum carere dolore, tantum est bonum, ut Hieronymus Rhodius, antiquissimus Philosophus, summum bonum posuerit in vacuitate doloris at ipse errabat, humanæ sapientiæ lumine ductus, atque errare alios volebat: jam tum enim Deus absconderat à sapientibus, se esse extremum sive ultimum finem, quo omnia, quæ recte fierent, referantur, neque ipse usquam referatur. at, non solum nullus ibi erit malis locus, verum etiam omnium præteritorum malorum memoria, oblivione sempiterna, delebitur. quid? inquies; mala præterita beatis effluent? nulla, in eorum animis, doloris notio inerit? nihil ne illis veniet in mentem, eorum suppliciorum acerbitas, quibus erunt defuncti?. quemadmodum duobus modis haberi rei cujuspiam notitia potest, ita etiam duobus modis, ejusdem memoria aboleri. nam, vel res aliqua, scientia doctrinaque percipitur., vel experientia usuque tenetur; verbi causa, medicus aliquis, perceptas animo, omnium morborum formas ac differentias, habeat, sed earum partim à magistris acceperit, partim in se se experiendo didicerit; sine dubio, hic duplicem de morbis notitiam habebit; unam à doctrina, alteram ab experientia; quod videlicet fuerit illis obnoxius. unde, qui fuit calculosus, veternosus, solet dicere, Scio, quid sit calculus, quid sit veternus. sic Christus Dominus dicitur Apostolo, didicisse ex iis, quæ passus est, obedientiam. nam, quamvis, cum sit Deus, à cujus intelligentia nihil potest abesse, probe omnium virtutum vim teneat, attamen, quia æqualis est Patri, ac propterea nullius imperio subjectus, nullum usum habere virtutis obedientiæ poterat. quid ergo? humanam naturam in se transferens, Patre minor apparuit, ac multa aspera, acerba, difficilia perpessu, à Patre sibi imperata, fortiter excipiens ac perferens, usu didicit, quanta sit virtus, dicto audientem alteri esse. ut igitur duobus modis acquiri rei cujuspiam notitia potest, ita duobus etiam modis amitti. nam, alio modo obliviscitur medicus morbos, ad quorum intelligentiam, artem &

magistros adhibuit, alio eos quibus cum conflictatus est diu. illos enim obliviscitur, cum ab animo, memoria deficiente, diffugiunt; hos, cum à corpore, urgentibus remediis, excedunt. nec, cum sanus factus est, videtur inepte loqui, cum dicit, Iam, Dei & medicamentorum virtute, ignoro, quid sit, verbi gratia, renum morbus, vel quid sit dolor capitis, aut imbecillitas stomachi. per hanc rationem, evulsa erunt, ex Beatorum memoria, scelera quibus se obstrinxerint, calamitates vel morbi quibus implicati fuerint; quia perpetuo ab omni culpa aberunt, quod *non tanget eos tormentum malitiæ*, & quia, omni eorum malorum metu solventur, quæ culpæ, qua nulla in posterum tenebuntur, cohærent. nam ceteroqui mentis acie, qua acerrima attentissimaque utentur, tum ea quibus perfuncti sunt mala, tum damnatorum supplicia, quæ, divinæ misericordiæ ope, evitarunt, intelligent; qua cogitatione commoti, semper lepidissimum illud carmen habebunt in ore, quo nullum, cæleste regnum habet, neque dulcius neque suavius neque jucundius: *Misericordias Domini in æternum cantabo.* deinde, ibi vivent ut volent; nihil enim volent, nisi quod rectum sit, & honestum, atque ex optimis ac sanctissimis moribus. postremo, illud ibi otium, illud nunquam satis laudatum sabbatum, agitabitur, cui, usque ab initio operum suorum, benedixit Dominus, quod sanctum esse omnibus jussit, nulloque operis cujuspiam ministerio violari permisit. etenim nos hic revera æternæ saluti nostræ, servorum, ut ita dicam, more, operam damus. nam, quid aliud sunt, vigiliæ, verberationes, inediæ, ac ceteræ ejusmodi pœnæ, (quamvis à Christi merito æstimationem accipiant) nisi serviles quædam operæ, quibus cæli gaudia promereri studemus? at, in summa æterni illius sabbati cessatione & otio, harum ac similium operarum ne nomen quidem audietur: immo nos, qui, in hac valle ærumnarum, servorum conditione ac sorte à Christo censemur, tum amicorum ejusdem, locum numerumque tenebimus. *Iam* enim, inquit ille, *non dicam vos servos, sed amicos.* atque adeo quies & otium extremo sive ultimo fini cohæret; ut Aristoteles, contemplationem,

in

in qua omnes beatitudinis numeros ponit, quietis, quam actionis, similiorem esse, confirmet. at, quæ nam erit, inquies, illius quietis voluptas ac delectatio? neque scio, neque quemquam arbitror scire; cum dicat Paulus Apostolus, quod erit ibi *pax Dei, quæ superat omnem sensum*; nimirum, quod ea omnes pace comprehendentur, quæ solius propria est Dei. sed, quis tam est acri vir ingenio, tam perspicaci, tam magno, ut, quæ Dei sunt, assequi intelligentia possit? ego tantam vim ingenii neque in aliquo homine neque in Angelis ipsis agnosco. audio, inquies; at, non possis aliquid afferre, unde saltem suspicione liceat id, quod dicis, attingere? nihil mihi venit in mentem, præter id, quod dicturus est Deus felicissimis illis hominibus, quos in suam requiem excipiet, *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* nimirum tota illa vis pacis in eo consistet, ut intelligant, solum ipsum divinum principatum tenere, ceteros, non modo insaniæ, verum etiam stultitiæ furorisque, coargui, qui alium sibi Deum fecerint, præter ipsum; videlicet, divitias, honores, voluptates, potentiores amicos, Dei loco coluerint, quorum ope præsidioque non potuerint æternæ damnationis pœnas effugere, neque esse quidquam, extra Deum, quod nos in possessione felicitatis veræ constituat. qua cogitatione, summa atque inexplicabili animi voluptate perfusi, præterea ardentissimo in Deum amore incensi, Davidicum illud identidem referent; *Beata gens, cui est Dominus, Deus eorum.* Superest, ut, quod hactenus diximus, illis Pauli Apostoli verbis concludatur ac peroretur: *Festinemus ingredi in illam requiem*; scientes, quemadmodum idem ad Timotheum scribit, quod *unus est Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* eo spectandum est nobis, eo omnes nostræ cogitationes, operæ, ac studia referenda sunt. nam quovis ea alio, tanquam ad finem ultimum, dixeris, inani te labore ac supervacuo defatigaveris. fuere non parum multi, qui recte sibi imperare potuerunt, qui domitas atque coercitas suas libidines habere didicerunt; sed, quia aliquid aliud propositum habebant ac Deum, justo illius judicio damnati abierunt

runt. quid prodest gubernatori, rerum nauticarum scientia, quid eum adjuvat, quod navim scienter, quo velit, dirigat, vertat, quod avibus ac ventis citius impellat, si tandem vel subvertat vel ad aliquod saxum affligat? sim, licet, quantumvis bonis artibus præditus, sim virtutum omnium princeps: si non recta tendam in Deum, semper à recta felicitatis via deflectam, ac me demum ipse perditum eam.

X L I.

DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN.



Tatui, mi Hugo, *quicquid à me litterarum ad te exeat, sive epistolam sive sermonem sive quid aliud contineat, paucis versibus, vel, si materiæ ratio longiorem orationem desideret, quam paucis potest paginis includere. hinc est, quòd Dialogum de Concionatore, quamvis magna ex parte perfectum, ac fere laborantem in fine, quoniam plures paginas occupare videbatur, non perficiendum nec tibi mittendum ostendendumque curaverim. sed, Deo bene juvante, absolvam tamen, cum erit otium; quamvis, contractioribus hisce diebus, fere nullum obtingat. non enim mihi mos est, ut plerique faciunt, ante lucem, lecto relicto, ad lucernam lucubrare quod placeat; sed, odio frigoris, quod valde pertimesco, ad multam lucem me lecto contineo, atque interea dum somnum ab oculis pello, dum otiose me vestes singulas induo, dum è cubili pedem effero, dum paululum orationi temporis tribuo. dum domi aliquid impero, curo, dum ad ædem aliquam sacram me confero ut rebus divinis intersim, dum domum repeto, totum fere matutinum tempus esse mihi elapsum è manibus, doleo. à prandio vero nihil est quod rei cupiam dare operam postulem. nam, quod est in stomacho, vel statim coacescit, vel incoctum permanet, vel si-*
tim

tim mihi acerbissimam excitat, quæ me, totum diem, miserum habeat. vespere autem iis, quæ interdiu viderim, audierim, dixerim, perturbatus ac distractus, nequeo instituere animum ad cogitandum. itaque tres illas ante cœnam horas, ne otio tabescam, cogor in eo, quod scripserim, legendo vel corrigendo describendoque conterere. at nihil mihi horum, ætate, contingit. nam, mane, maturissime surgo, animum ad litterarum studia alacrem ac vegetum affero. à prandio vero, rursus, ad meum pensum, manus, ut dicitur, revoco, ac summa cum animi voluptate, nullo valetudinis detrimento, quatuor vel quinque horas, legendo, meditando, inveniendo, scribendoque, traduco; neque ad me quisquam, qui molestus sit, adit. verentur enim omnes, æstate summa, pomeridianis horis, clivum hunc arduum difficilemque conscendere. sed, ut eo, unde digressus sum, redeam, dabo operam, idoneum tempus nactus, ut opusculo à me inchoato extrema manus accedat; non eo quidem consilio, ut illud à te legi postulem, sed ut inter alias meas scriptiones, pulvere situque obducendas, rejicias. interea, ut heri in Aede S. Caciliæ tibi promisi, brevem hunc sermonem, vel si malis Homiliam, de hoc ultimo post Pentecosten Dominico die, conscripsi. quo in sermone (ut me ipsum laudem) me quidam quasi æstus ingenii arripuit, & in omnes verborum flores abstraxit: sed potest ignosci, si materiæ acerbitatem, quæ est de supremo vitæ cujusque die horribili ac metuendo, orationis suavitate temperare sim conatus. sed finem scribendi facio, ne in illud vitium incurram, quod mihi fugiendum esse constitui. Vale. x. *Kal. Decembr.* CIↃ IↃC XXXVII.



ORATE, *ut non fiat fuga vestra, hyeme vel sabbato.* Cum dicit, *Orate*, magnam rem aliquam esse demonstrat, quæ obtineri sine acri ac vehementi oratione non possit. cum dicit, *Orate*, summum aliquod periculum impendere significat, quod declinari sine multis ac demissis precibus nequeat. ubi enim, nisi ad ingens aliquod periculum, vel existimationis vel capitis, deprecandum, vehemens & incensa adhiberi solet oratio? hoc autem

tam

tam cavendum formidandumque periculum nulla re alia nisi repentino continetur interitu; cujus deprecandi causa orandum semper esse, amantissimis Christi verbis admonemur. *Orate*, inquit, *ut non fiat fuga vestra, hyeme vel sabbato*; hoc est, Orate, ne vos ultimus vitæ dies, inopinantes ac dormientes, invadat: orate, ne perpetuus humani generis hostis, dum recte valetis, pœnitentiæ studium à cogitatione vestra rejiciat; cum fieri vix possit, ut, qui ad peccata deflenda, mortis judiciique tempus exspectat, æternæ damnationis pœnas effugiat. Quæ verba, non soluto pacatoque animo, sed admodum suspenso atque solicito, elata à Christo esse, rei gravitas, ejusque in nos amor, summus & singularis, plane declarat. si dubiis periculosisque temporibus, vel in præsentia, atque ante oculos proposito periculo, matrem filio dulcissimo, vel sponsam conjugi carissimo, consilium dare contingat, videre licet, quemadmodum, versante hac illac solicitudine animum, æstuet, expallescat, verba suspiriis immisceat, plenissima fidelitatis consilia præbeat, ut hæc aut his similia fere verba subjiciat: Fili mi, sponse mi, hoc fac omnino ut facias, in id cave ne incidas, ab hoc omnino abstineas atque refugias, at longe majori ac vehementiori incitatione animi inflammatus Christus Dominus, cujus in nos amor, cujusvis matris vel sponsæ caritates antecedit, pericula nobis impendentia denunciat, remedia, quibus tecti esse possimus, ostendit; videlicet, *Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes; & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non revertatur, tollere tunicam suam.* & in primis, *orate, ut non fiat fuga vestra, hyeme vel sabbato.* Fugæ mentio & usurpatio, ita præsens periculum esse demonstrat, ut declinari sine repentina fuga non possit. non est usus, discedendi, non abeundi, verbo, sed fugiendi, eo quod sit verendum; ne, dum tardis ingressionibus utimur, hujus tam urgentis atq; impendentis mali ruina interimamur. ergo, si est in præsentia fugiendum, qualibet cunctatio periculosa est, quodlibet punctum temporis anceps. si domus aliqua, vel ædificium, ruinæ sit proximum, si jam parietes discedant, omnisque contignationis compagines solvantur, &c. cum

sit hoc

hoc animadversum, ita inquilini insaniant, ut cunctentur, ut agitent securi convivia, ut ventri vinoque indulgeant, nonne digni sint, qui repente, ea obtriti ruina, necentur? quid præcipiti gravius ruina collabitur, quid velocius corruit conciditque, quam tempus? quid magis, de improviso, quam vitæ finis, adoritur? & (quod stultitiam in primis nostram coarguit) quid tam exploratum est nobis, quam, esse moriendum? & tamen, quasi perpetua hic omnium nostrum vita futura sit, quasi, ex unico temporis momento, eo nimirum quo animus societatem corporis ejicit, æterna salus nostra non pendeat, in suis quisque cupiditatibus acrius detinetur, ad nova semper & graviora peccata revolvitur. quid igitur est reliquum, nisi ut, qui tam stultus ac tam sui despiciens est, subito casu oppressus, in iis ipsis, in quibus se demersit, sordibus obteratur? Iam vero operæ pretium est nosse, quamobrem tantopere sit cavendum, ne ejusmodi fuga, hoc est pœnitentia, in supremum vitæ diem conferatur. Atque ea ratio in primis affertur, quod futura sit hyeme; quod tempus, iter facientibus, incommodum atque adversarium est maxime. Stultus omnino est, qui, longum iter suscepturus atque anceps, in anni tempus tam adversum & incommodum rejicit, quo tempore sol, brumali signo recedens, ita diem contrahit, in angustumque deducit, ut ipsum mane, pene cum vespere conjungatur. quamobrem interdum, festinantes, nox prius occupat, quam locum, quem ipsi petunt, attingant. mortis tempus, quasi quædam est hyems. nam, quo mors propius accedit, eo etiam dies contractiores illucescunt. ô rem miseram, atque omnibus improbis pertimescendam! ille tandem dies exorietur, qui in ipso fere ortu decumbet; illa nox veniet, quæ in nullam lucem evadet. itaque, si verum est, quod est verissimum, inter peccatorem & Deum, infinitum quoddam spacium intercedere, quod decurrendum sit totum si salvi esse velimus; omnino pessime rebus suis consulit, omnino stulte & insipienter facit, qui tam arduum, tam longum, tam periculosum iter, ad tam exiguam ac turbulentam diem, reservat. nam verendum est maxime, ne mors antea superveniat, quam totum conficiatur. deinde, per hyemem,

hyemem, aquilones sæviunt, terra nivibus obrigescit, asperitate frigorum efferatur, quotidianis fere imbribus expletur, adeo ut tenuissimus quisque rivulus, torrentis cujusdam instar obtineat, &, iter facientibus, viam occludat; ad hæc, flumina, tum aquis pluviis tum nivibus aucta, & longe lateque diffusa, circumjectos inundant campos, neque tam est cum imbribus, nivibus, atque fluminibus, quam cum luto cœnoque luctandum, quod, modo præaltum, terram obruit, summaque exæquat hominum equorumque fastigia, modo leviter eandem illiniens, ad fallenda vestigia, ingredientibus cedit. confugite, mortis tempore, ad Christi clementiam; implorate divinum auxilium, (ad quod si, cum omnia feceritis, nunquam perventuros vos dixerim, amens sim;) sed, moneo, rapidissimi torrentes, velocissimaque sunt flumina, unde pauci vix emersere, superanda. nam primum, properantibus ad divinam misericordiam, multitudo scelerum, quibus Dei in se iram concitaverunt, quasi magnum aliquod flumen, opponitur; ad quod alterum, non minore vi, ac mole agens undas, influit; hoc est, judicium de nobis futurum, acre, severum, formidabile; quo ex judicio, si justitiæ ratio spectetur, salus nulla servare nos possit. hi amnes, cum leniter fluunt, nimirum cum recte valemus, facili negotio tranantur; cum vero intumescunt, inhorrescunt, sæviunt, hoc est, supremo vitæ die, magnum nobis negotium exhibent; nam fere tum fit, ut divinæ misericordiæ velificari conantes, earum rerum memoria atque terrore, quasi fluctibus, circumventi, rejiciamur, vel, eisdem absorbti, in profundum abstrahamur. quid? morbi ipsius gravitas, dolorum acerbitas, mortis metus atque formido, parum ne properantibus ad pœnitentiam obstabunt? immo, tantam moram objicient, ut vix passura sint hæc, in alias eos cogitationes ac studia digredi. Si, in horto Gethsemani, mortis terror, tanto tumultu, Christi animo se infudit, ut sanguineum illi sudorem, toto è corpore manantem, expresserit, quanta formidine idem ille metus nostrum animum perterrebit! qua nos ratione jactabit! quo impetu pervellet atque consternet! sed fac, una cum his terroribus aliquem etiam male actæ vitæ odium & dolorem

rem innasci; utrum eam nobis mentem ratio ac voluntas injiciet, an tempus & necessitas afferet? utrum temporaneum illud odium in peccata, Dei amor, an metus pœnarum, efficiet? omnia profecto tunc temporis, ruinæ ac tempestati, quam rationi atque consilio, similiora esse reperientur; vel omnia potius sine consilio, sine ratione, sine mente gerentur. & putabimus, eam pœnitentiam, quæ ab homine sic affecto prodierit, aliquid roboris habituram? testamentum, si eo modo fiat, jure ac legibus irritum esse jubebitur; quod quispiam de re tam gravi constituerit, fixum ac ratum in perpetuum esse oportebit? nemini, à mente alieno, suas facultates alteri dono dare permittetur; illi, alienas usurpare, fas erit? ô inanes nostras cogitationes! ô stulta consilia! Postremo, ut in eodem simili verser, via ipsa, quæ, pæne præcipiti cursu, decurrenda est, pravæ consuetudinis sordibus illita, cupientes præteritæ vitæ peccata deflere, sæpenumero in vera pœnitentia gradum firmare non sinet. nam, conantes hæc facere, consuetudinis vis, vel invitos ac repugnantes, furtim in earum ipsarum voluptatum illecebras, in quibus toties se demersere, subducet. id quod acriter ejus imprudentiam stultitiamque diverberat, qui, divinæ misericordiæ fiducia fretus, se se quotidie, magis magisque, in omni genere libidinis intemperantiæque diffundit. nonne vides, ô stulte, deteriorem te in dies causam tuam efficere? nam, quo graviores, severo illi judici, contumelias imponis, eo etiam magis illius à te animum abalienas. nonne animadvertis, quam viam momento pene temporis conficiendam suscipis, tenaciori te semper, ut ita dicam, limo oblinire, ac majoribus impedimentis obducere, ac prope intercludere? At possum, inquies, proferre, quos extremo spiritu, hoc velut iter ingressos, repente, summa vis caritatis abripuit, atque in sinum divinæ clementiæ statim abstraxit. Primum, tibi respondeo, neminem futurum esse qui neget, longe cautius ac tutius esse, huic se se viæ committere, dum tempus itineri operam præstat, dum omnia sunt æquiora & placabiliora, dum lenitatem ac misericordiam ipse affert ad causam Iudex, dum, neque luctu neque desperatione,

cuncta miscentur. quod igitur est tibi consilium, contra omnium sententiam, rem hanc conferre in tempus, tam alienum à rationibus tuis? quod si periculis delectaris, jam nihil reliquum est, nisi ut, qui periculum diligit, pereat in illo. deinde, quam multi sunt isti, quibus id, quod narras, ex sententia processerit? profecto, ut omnia colligas vetustatis exempla, perquam paucos esse reperies; ex contrario, innumerabiles tibi prope se offerent, quibus hoc idem teterrime fœdissimeque ceciderit. quod cum ita sit, dementissimæ temeritatis mihi videtur esse, æternam salutem suam incertissimo eventui, felicium paucorum exemplo, committere. Est id postremo iter, suprema illa hora, quadam quasi lege, interdictum, propterea quod sabbato arripiatur. *Orate, ut non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato*. erat enim in veteri lege præscriptum, quatenus quis sabbato progredi posset; illudque spacium, non immensis atque longissimis, sed certis & exiguis quibusdam finibus, continebatur: id adeo, quia sabbatum quieti ac cessationi tributum esset; non autem labori rebusque gerendis addictum. itaque, si dies mortis comparatur sabbato, debet ille nobis, ex molestiis atque laboribus ad quietem & cessationem aditum dare, non autem, ex vacatione omnium munerum, ad labores omnium maximos gravissimosque, aditum aperire. omnino quiescendum illo die nobis est, non iter habendum. at, si, omni ex parte, itineris labore carere non placeat, suscipiatur aliqua via, sed ea sit brevis, jucunda, atque, ut uno verbo complectar, iter sabbati non excedat; hoc est, tendamus in Deum ut in amicum; non adeamus ad illum sicut ad hostem; complectamur eundem ut benevolentem, non vereamur ut judicem, ejus benignitatem petamus cum fiducia; non severitatem, pene cum desperatione, exhorreamus. hoc enim est, tempore illo, quieti atque otio in primis debito, sabbati iter habere. neque negaverim, pœnitentiæ iter longissimum, posse interdum sabbati iter evadere, hoc est, unico brevissimi temporis spatio posse concludi. si quis animo æquo, atque ad bene sperandum de divina misericordia erecto celsoque, à peccatis abalienetur: sed omnis in hoc error versatur, ut diximus,

rum, populares tuos accuratissimos! ut miraretur acumen ingenii tui judiciique, penetrantissimum, ac stupendum plane! ut Oceanum te proclamaret historiarum, scientiarum profanarum ac sacrarum, & eruditionis omnis exquisitissimæ in quolibet genere politissimæque! ut præconem ageret excellentem prudentiæ divinæ, & nativæ tibi & longissimo rerum ingentium usu maximoque semper exercitæ! ut morum tuorum deprædicaret suavitatem incredibilem, pietatemque omni ex parte consummatam, & spectabilem in exemplum toti Christianorum cœtui! ut recitaret beneficia tua summa & immortalia; quibus cumulasti, tum Ravennates, tum Bononienses, illos quidem Archiepiscopus, hos vero Legatus Pontificius, & justus utrobique & munificus insigniter! ut per terrarum orbem resonare porro faceret ordine obita per te strenuissime sanctissimeque munia, quæ, numero plurima, rejecta in tuos humeros voluit Sedes Apostolica jam inde à Pauli V

tempore, adjutamque ac promotam ope tua & consilio rem Romanam, quotiescunque postulavit necessitas, utilitatisve publicæ invitavit spes aut occasio! ut patrocinium dilaudaret, quo dignaris Clerum Ecclesiæ, tum in Belgio, tum alias passim, etiam regularem non unius Ordinis! ut apertum cum primis, ceu tuba clangente, redderet, nationibus omnibus, propagandæ fidei Catholicæ studium indefessum tuum ardentissimumque! quorum hæc profecto tam singula quam universa sunt merita in Rempub. Christianam & omne genus humanum longe maxima atque illustrissima. ut explicaret insuper diserte, quantumcunque serius tu, seu firmus & constans instar cubi, respuas perpetuo spernasque, tribui ab hominibus tibi solita, encomia prorsus omnia, soli potius Deo dans gloriam, perque adversa in cælestem attolli patriam animo desiderans erectissimo, non ideo tamen tacendum sibi esse, quum loquuturi ceteroquin sint ipsi etiam lapides! ut, inquam,

aurea

aurea verborum ſolidiſsimorum, limpidiſ-ſimorum, nitidiſsimorum, funderet hîc flumina Ioannes Victorius, *aſſentatus nihil, adeoque ſuperare contenderet ſeipſum, immo ſuum etiam Tullium! ut anſam pariter oblatam prehenderet injiciendi mentionem honorificam cariſsimi tibi* Hugonis *illius, quo ſuſcitante, ſic & Latine & convenienter & graviter ediſſeruit attinentia pietatem, vel digrediendi quoque in ſermonem de fratre Hugonis germano*, Roberto Card. Vbaldino, *quîcum amicitiam ita coluiſti ſingularem atque intimam, ut vita etiam functo eo tuearis perennem ac perpetuo recentem, raro admodum exemplo! ut animo tripudians exprimeret vivis tibi coloribus, more ſuo, deprædicaretque, ingenii ſui fœtuum quaſi ſuſceptorem, quem itidem dixi*, Fabium Chiſium, *de perquam integris & Angelicis moribus, virtuteque omni nobiliſsima, & exantlatis dexteritate admirabili, Sedis Apoſtolicæ nomine, tum ſæpius antea, tum denique Mo-*

 naſte-

nasterii, curis laboribusque difficillimis ac molestissimis, & perspectum satis Romæ, & adeptum quoque gentium transalpinarum omnium applausus liberalissimos dignissimosque, adeo quidem ut sacrorum etiam nostrorum inimici judicent non nisi honestissime de ipso, quantumvis ubique rectissime suum tuito locum! commemorationem etenim hanc istorum duûm, cultu omni studioque magnitudinem tuam prosequentium, tibi, licet hîc non ignaro, gratissimam quoque fore, persuasum haberet. quam impense demum submisseque gratias ageret benignitati tuæ, de frequentibus dulcissimisque alloquiis & solatiis, nec non de præstita, quum difficultatibus premeretur, opitulatrice gratia! quantopere summam simul observantiam erga te suam facere testatam laboraret vicissim totus, occasione qualibet, ac, mortem (nisi ad meliorem ea vitam transitus foret) invidendam equidem à virtuosis omnibus esse tibi, seniumque, licet jam satis provectum sit illud, optan-

dum

diximus, & inculcandum est sæpius, quod unusquisque confidit, hoc sibi posse contingere. nam vera pœnitentia, facilis quidem, omni tempore, videtur esse, existimanti; sed nihil est experienti minus, præsertim animo variis perturbationibus ac terroribus occupato. tum autem non semper est necesse, nobis Deum auxilium gratiæ suæ ex voluntate nostra tribuere; eoque minus, si illud, sæpius oblatum, repudiaverimus. quo fit, ut, cum opus est maxime, quasi pœnæ loco, illud nobis sæpe subducat. Summa denique huc redit, ut occasioni nunc, cum ea subest, occurramus, &, qui propter peccata à Deo sejungitur, reversionem ad eum perquam celeriter ineat, ne, si demum hyems vel sabbatum, hoc est interitus, opprimat, ejusmodi segregatio dissidium æterni temporis fiat.

FINIS.





